Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0001-7

~~F.V.22.~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

III A 264

SIGNAT. cIɔIɔCCCXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0002-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0003-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0004-4

# PETRI DIETERICI,
Dracomont. Sileſii,
Et
# PAULI APELLIS,
Iglovià Pannonii,
# EXERCITIUM POËTICO-ANAGRAMMATICUM PRIVATUM,
In Libros VI. digeſtum & editum,
A
## PAULO APELLE,
Scholæ Olanæ Rect.

*Cum Indice copioſiſſimo.*

Anno, quô Eccleſia CHRISTI ingemiſcit:

*VIVe DeVs, nos à tVrCIs DefenDere perge*
*eX aLto, pereat, ne patIare pIVs!*

---

BRIGÆ, Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI JACOBI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0005-9

*Magnifici, Excellentiſſimi & Nobiliſſimi*

# DOMINI
# GODOFREDI
# CHRISTIANI
# Winckler/

Philoſ. & Med. D.

S. R. I. Academiæ Naturæ - Curioſorum Collegæ, ut & Sereniſſ. ac Potentiſſ. ELECT. BRANDEB. CONSILIARII & ARCHIATRI, Affin. colend.

*Filiorum chariſſimorum*

BIGÆ:

CHRISTIANO GODOFREDO Et ERNESTO SIGISMUNDO Winckler/

*Nobiliſſimæ Indolis, & frugi Adoleſcentibus.*

VIRI

VIRI

*Plurimùm Reverendi, Clariſſimi, Eruditione ac Pietate Præſtantiſſimi*

DOMINI

# GODOFREDI

**Hahn/**

Paſtoris Primarii & Inſpectoris vigilantiſſimi Auguſt. Confeſſ. invariatæ ad S. S. Trinitatis, in Suburbio SVIDNICIENSIUM

*Filiorum ſuaviſſ. dilectiſſ.*

QUADRIGÆ,

*Pereximio ac Clariſſimo*

# DN. GODOFREDO Hahn/

Philoſophiæ, in Academia Lipſienſi,

MAGISTRO,

Ut &

*Præſtanti pariter Literatiſſimo*

JUVENI,

SIGISMUNDO Hahn/

In Magdaleneo Wratisl. Muſarum hactenus Cultori ſtudioſiſſimo, ad Academiam properanti,

Nec non

GEORGIO Et CHRISTIANO Hahn/

*Germanis Fratribus, certæ Spei Adoleſcentibus, & bonæ Indolis Pueris.*

VIRI

# VIRI

*Admodùm Reverendi, Clariſſimi & Pereruditi*

# DOMINI JOHANNIS Weißbeck/

Confeſſ. Auguſt. invariatæ Paſtoris fideliſſimi POSONII,

*Filio amantiſſimo,*

# JOHANNI FERDINANDO Weißbeck/

*Probo & Ingenuo Adoleſcenti, hactenus Convictori & Diſcipulo ſuo.*

**S. P. D.**

DUobus, *Pereximie & Clariſſime DN. M. Præſtantiſſimi & Literatiſſimi Viri Juvenes, Puerią; Ingenui*, obſervatum, Studia Poëtices præcipuè premi: *Contemptu* & *Faſtidiô*. Contemptus ex iniquis eorum, qui Studium hoc vix à limite ſalutarunt, & inconditis Judiciis ſumit originem, exiſtimantium, *Poëmata* nîl aliud quàm ocioſi temporis quosdam eſſe ludos, Studiumq; indignum, in quod temporis aliquid, operæq; ponatur, ex quô nullus redundet fructus.

Quamplurimos primus Studii iſtius nobiliſſ. conſpectus, quia Attentionem, Diligentiam & Ingenii Solertiam requirit, adeò terret, ut ab Exercitiô ejusmodi deſiſtant, id faſtidiant & negligant, ſeipſos minùs reputantes aptos, nec ad id divino naturæ impetu ferri. *Hinc Faſtidium pariens Contemtum.* Verùm qui iniquè divinum hoc contemnunt Studium, eorum indignum Conceptum eruditæ Antiquitatis ſeveriter arguunt & damnant Exempla & Monumenta. Si removeatur levitas & dicacitas, (quibus

(quibus qui delectatur vitiis, in Poëtarum numero habitus fuit minimè) condimentum haud ignobile omnium Studiorum *Poëticæ* eſt cognitio, ſine quâ reliquæ neſcio quomodo aſperæ, moroſæ, tetricæ apparent. Haud ſcio an de Literis omnibus actum ſit, ubi Poëticæ faſtidiri cæperit, dixit Communis ille Germaniæ Præceptor. Nec video, pergit, conſervari poſſe, quicquid illud eſt Elegántiæ, quod hoc Seculo floruit, niſi exercendo Stylo *Carmen* Juventus meditetur.

Hic labor Ingenii Vires acuitq; fovetq;:
Hîc venit Eloquii Copia, Forma, Nitor.

Non abs re Scholaſticis etiam ſeriò præcipitur Legibus, ut Verſuum contexendorum Exercitiô facundiam ſibi Juventus paret & Judicium acuat. Et qui ſemel Medullæ Studii hujus deguſtavit dulcedinem, oblectatione impoſterum vix ſatiari poteſt, ac undequaq;, ſeſe oblectandi & exercendi capit occaſionem. Hinc non intra Scholarum ſolùm limites Studium hocce reconditum hæſit, ſed *Magni Nominis Viri*, ex *Theologorum* & *Politicorum* Ordine, extra ea, imò *Imperatores*, *Reges* & *Principes* non pauci, inter alia ſeria, hôc Exercitiô Ingenium expolire & à rubigine ſalvum conſervare, tempo-

risq; otium eò oblectare ſunt ſoliti. Horum Veſtigia etiam preſſit *Vir Reverendus & Eruditione Clarus*, DN. PETRUS DIETERICUS, *Paſtor* quondam in Tirpitz/ Affinis meus dilectiſſimus, nunc in beat. æt. Parentibus veſtris olim charus etiam, qui, ne tempus, à Studio Theologico quod reſtabat, ſocordiâ ac deſidiâ contereret vel abſumeret, utq; occaſionem, puritatem & elegantiam Lingvæ latinæ imitandi, haberet, (cùm Paſtoribus ruſticantibus aliter haud liceat) Epiſtolis ſcribendis, Muſicæ & Poëſi deſtinavit. Non enim ea, quæ in Scholis didicerat, abjecta eſſe, ſed iisdem in Eccleſiaſtica ſua functione uti voluit, bene gnarus, Ingenii bona & divinitûs conceſſa dona Exercitiô quotidiano magis, magisq; ſplendere, atq; augmentum ſumere: contra, ſi Exercitium abſit, tanquam ferrum in aëre humido, rubiginem contrahere ac torpere. Quò autem Beatus Vir eò feliciùs & jucundiùs progredi poſſet, me ſibi æmulum invitavit, ut idem facere non gravarer; facilèq; exoravit. In Poëtico verò Exercitio alter alterius acumen explorare volens, libitum utriq; fuit, ex Vocibus vel Nominibus *Anagrammata* elicere. Facto hoc, in magnum excreverunt numerum, quorum tamen

men non parvam partem incuria quædam igni perdidit. Uti autem iſta haudquaquam ad oſtentationem conſcripta; multominùs prelo ſubjiciendi ſunt asſervata: ſed cùm Viri Clarisſimi moneant, Diſcipuli, quibuscum mea non pauca elaboravi, flagitent: Illis obſequendum; his, (fortè & communi bono) ſerviendum duxi. Selegi ergò, quæ hîc in *Sex* digesſi *Libros* & typis evulganda edidi.

Circumſpicientem, quem Opuſculo huic eligerem *Patronum*, vel cujus *Nomini* laborem tenuem conſecrarem, metus invaſit, ne idem, quod Cytharædo & Poëtæ cuidam eximio, apud *Jasſum*, Inſulam *Cariæ*, & eidem accidat: qui (ut Strabo refert,) cùm in publico præcipui Oppidi Theatro eruditè & ſvaviter caneret, omnesq́; Jasſi audirent eum, paulò pòſt, increpante tintinabulô, quô piſcium venum expoſitorum (ex piſcatu enim tum rem potisſimùm fecerant, daretur ſignum, ex tempore unà omnibus ad forum piſcatorium dilapſis Jasſis, deſertus fuit, unicô remanente ſurdaſtrô: hic propius accedenti *Muſico*, eiq́; propter Muſicæ Studium, & honorem ſibi habitum, quòd non, ut cæteri ἄμȣσοι, profugisſet, gratias agenti, quid ais? inquit: Num jam tintinabulum ſonuit?

nuit? cum affirmaret, at tibi, ô homo, bene ſit, reſpondit; ac protinus ad emendos piſces procurrit, atq; ita præſtanti Muſico & Poëtâ turpiter ſolo relicto, *pluris omnes putridos fecére piſces, quàm Ingenii & Artis pulcherrimæ opus.* Non equidem mihi latet, quamplurima reperiri excellentia & in Studio hoc peritiſſima Ingenia, Jasſis nequaquam aſſimilanda: hîc tantùm hærebam dubius, quis libellum iſtum tenuem libenter admitteret, non limis intueretur oculis, nec ſurdis audiret auribus.

*Te* igitur *Pereximie & Clarisſime Domine M. Vos* etiam *Præſtantisſimi & Literatisſimi Adoleſcentes*, qui nequaquam Studia cum Jasſis contempſiſtis, nec cum multis aliis Seculi hujus faſtidiſtis, ſed felicisſimos & laude dignos, maximè & in Poëticis feciſtis progresſus, ita ut altiora his invenire & elaborare vobis minùs ſit difficile, *Vos* inquam, quibus vilem hunc laborem inſcriberem, elegi. Clareſcere facietis ipſimet Nomina veſtra, Honorem, Gaudiumq; *Parentum Clarisſimorum* augebitis, ut haud opus eſſe cenſeam, *Vos* aliena adjutum ire ope. Non mediocriter fui lætatus, dum dilectisſimus PARENS Tuus, *Clarisſime Domine* GODOFREDE, me, perlectis Lipſia à Te misſis

cum

cum Symbolo Baccalaureatûs literis, participem faceret gaudii; quod Spem de *Te*, cùm prima Tibi inſtillaremus rudimenta, conceptam confirmavit. Tu etiam, *Literatisſime* SIGISMUNDE, ut in aliis, ſic in Aönio Exercitio, tanta & talia edidiſti Specimina (Acidularum in Ducatu Svidnicienſi deſcribtionem eruditam ſi tantùm producere esſet volupè) ut nemo jam dubiam de Te foveat Spem.

Te, *Nobilis ac Erudite* CHRISTIANE GODOFREDE, cum Germano, ERNESTO SIGISMUNDO, Adoleſcente Ingenuo, admiratio capiet, qua de Cauſa *Veſtra* Opuſculo huic præfixerim *Nomina*. Favor & Propenſio inſignis *Magnifici* atq; *Excellentisſimi Domini Genitoris*, in me meosq; dudum id expetiverunt. Quanta, quæq; Charitas illa benefica, ſi unicum, de curanda nimirum ægritudine mea, recenſeam, meruit? Induſtria & Studia Veſtra, ab aliis collaudata, meâ hîc non indigent deprædicatione. Bene ſperare *Nobilisſimos* PARENTES jubent profectus haud contemnendi, Veſtigia Vos Parentis & in cineribus laude dignisſimi Avi, quondam Ducis Serenisſimi Bregenſis Conſiliarii & Archiatri presſuros. Permittite nihilominùs, ut *Veſtro*, quicquid eſt ab *Exer-*

*citio noſtro* reliquum, inſcribam *Nomini:* ut aliqua gratitudinis, pro iis, quibus Parentes Veſtri meos, meq́; affecére beneficiis, imprimam Veſtigia, hôcq́; Opuſculo dem conteſtatum: digna, certè, ut temporibus, quæ ſequentur, commendem. Suſcipite fætum hunc: Mente ac fronte pellegite candidâ. *Non oderunt Sales, qui ipſi habent Salem.* Tua etiam, mi JOHANNES FERDINANDE, & Pietas & Sedulitas Spem augent. Literæ ad me nuper à te datæ, incitamento ſunt, ut electis his te annumerare nullus dubitem. Perge, ut cæpiſti, explebis Parentis Clariſſimi ſi &, quod offero, gratò acceperis, ac diligenter volvere non neglexeris, deſiderium, ipſe verò dignos Studii carpes fructus, ac eo ipſo Favorem Genitoris erga me (ſcis, quàm me amet,) confirmabis & augebis.

Vos quoq; GEORGI & CHRISTIANE, Inſcribtio hæc ſub veſtro quoq; Nomine, ad Studiorum alliciat amorem, quô ſtimulante, ubi ad illam (quod ex animo voveo) perveneritis ætatem, eò libentius, majore etiam diligentiâ legetis, & ad imitationem alacriores efficiemini. Servet Vos omnes & ſingulos Sanctiſſima DEI Majeſtas, ad Nominis ſui

glo-

gloriam, Eccleſiæ emolumentum, benedicat Studiis Veſtris: Veſtrum ac veſtrorum immortale evehat decus! Cujus protectioni *Vos* ac *Clariſſimos Parentes*, omnesq; *Veſtros* Veſtraq; omnia commendo. Dabam Olaviæ, VI. Calend. April. M. DC. LXXXIV.

PAULUS APELLES,
Ibid. Scholæ Rector.

# L. B. S.

Carmina *ſeceſſum* ſcribentis & *otia* poſcunt.

Qui *Exercitio Poëtico aliquam dedit operam, ſuccenturiabitur. Quæ verò* otia, *qualem* & ſeceſſum *Scholaſtici faciant labores, dentq́, non, niſi experti norunt. In Trivialibus præſertim, ubi nulla planè relaxatio, ſed adſtrictio in labore indies nos tenet, ut operas ejusmodi minùs improbè furtivas dixeris. Eapropter etiam, ſi quid L. bono, pio reprehenſione dignum obvenerit, eò faciliùs* Veniam & *excuſationem impetrabo. Lex Pedaria ſtrictè eſt obſervata: Ab Eliſionibus horridis & crebris cautum. Notulas paucas, quæ Diſcipulis datæ erant, adjeci. Quòd ſi Scopum, quem intendo, ferii, erit mihi quod gratuler. Sin minùs; ſolabitur me vulgatum illud Poëtæ non vulgaris:*

*Eſt aliquid prodire tenùs, ſi non datur ultrà.*

*Tu omnia in mitiorem interpretare partem L. B. & rectè Vale.*

Ad

*Pereximium, Clariſſimum ac Literatiſſimum*

DOMINUM

# PAULUM APELLEM,

Scholæ Olavienſis Rectorem dignisſimum.

Πϱοσφώνημα.

IN Veteri quondam valuit mos Lege JEHOVÆ:
Viveret ut moriens hîc ſine Prole ſuâ.
Defuncti Frater viduatam duceret illam;
Hæc pariens gnatum, nomen adeptus erat
Defuncti Fratris. Tu, Vir Clariſſime, nobis
His ſiſtis vivum, qui DITERICUS erat.
Pergratus labor eſt, quò ſitq; perutilis idem,
Hoc precor! atq; Toro pignora chara Tuo.

*ADAMUS FRIDERICUS*
**Springer/**
*Paſtor Eccleſiæ Olavienſis, & Presbyterii per Diſtrictum SENIOR.*

## Ad
## Juventutem Scholaſticam.

*Pauca qvidem* Juvenes, *liber hic* Anagrammata *vobis*
*Tradit, in his tradit ſed quoq; multa, ſimul.*
*Invenietis enim* Studia *& formantia* Mores:
*Diſcetis, mentis quod ſit acumen, in his*
*Hîc ingens parvâ tegitur* Nuce *copia Rerum:*
*Mirâ res amplæ ſub brevitate latent.*
*Cernetisq;* Tropis *ſcateant quibus atq;* Figuris.
*Quid multis? Quivis, qui legit, iſta videt.*
*Sæpiùs hæc igitur non vos relegiſſe pigebit.*
*Afferet & fructum Lectio qvæq; ſuum.*

CHRISTIANUS CÆSAR,
Scholæ Olavienſis Cantor
& Coll.

*I. N. J.*

# Liber I.

## *Continens mera Anagrammata in Monoſtichis.*

### 1. Feſto Circumciſionis Christi.

*Cruor*, per Anagr. *Curor*, *curro.*

Christe, *tuus* Cruor *eſt*, *cujus medicamine* curor:
Huc *ſupplex* curro, *ſuſcipe*, *Chriſte*, *tuum.*

### 2. Dominica poſt Circumciſionem.

*Exilium*, Anagr. *I*, *Lex! vim.*

I, Lex, vim *meditor*, *multâ cum cæde Tyrannus*
*Fatur*, & Exilium *mox quoq; Chriſtus adit.*

### 3. Feſto Epiphan.

*Sequi*, Anagr. *Quies!*

*Nulla* Magis magè *chara* quies, *quâ ſponte carentes*,
*Non* Stellam mallent *per mala multa* ſequi.

### 4. Feſto Converſionis Divi Pauli Apoſtoli.

*Malum*, Anagr. *Almum.*

*Quem putat ante* malum *Paulus*, *veneratur ut* almum,
*Ac promptus* ſervit, ſævit *ut ante*, Deo.

5. Aliud.

*Saulus*, Anagr. *Salvus.*

Saulus, *adhuc ſpirare minas pergens oculorum*
*Uſu privatur*, ſalvus *at inde redit.*

6. Dominica I. poſt Epiph.

*Templa* Anagr. *Peltam.*

Templa *frequentantes divino dogmate*, Peltam*
Repperiunt, *quando dogmata ſacra fovent.*

* Epheſ. 6. v. 16.

7. Feſto Purificationis Mariæ.

*Spes* Anagr. *Seps.*

*Si mihi* Spes, *Chriſtus*, *ſupereſt*, *tunc* Seps *nihil obſtat*
*Ignivomus*, *mundi deſero pace facem.*

8. Dominica II. poſt Epiph.

*Vina*, Anagr. *Vani.*

*Nubtis* Vina *novis*, *non*, *ut ſint pectore* vani,
*Præbet Chriſtus*, *at ut poſt venerentur eum.*

9. Aliud.

*Vinum*, Anagr. *num vi?*

*Vertere* num *Chriſtus* vinum vi *Matris adactus*
*Ex lympha? Non. Hic omnia ſponte facit.*

10. Dominica III. poſt Epiph.

*Æger*, Anagr. *Ægrè.*

*Dic*, *quis in his terris tam vixerit* æger *&* ægrè,
*Quem non Salvator ſanet*, *opemq́; ferat.*

## 11. Dominica IV. poſt Epiph.

*Nuda*, Anagr. *Unda.*

Non *hominis modò* nuda *manus facit*, *ut maris* unda
*Et ventus ſileant*, *ſed ſimul ipſe Deus.*

## 12. Dominica V. poſt. Epiph.

*Perverſos*, Anagr. *Per ſervos.*

*Patitur*, Anagr. *ut rapti.*

Perverſos patitur *Mediator in Orbe*, *gehennæ*
Per ſervos rapti, ut *poſt graviora luant.*

## 13. Dominica 6. poſt Epiph. Matth. 17. ℣. 1.

*Lætitia*, Anagr. *Ita læti.*

*Poſt* ita *nos erimus* læti, *fuit ut Simon illic*;
Lætitiâ *æternâ*, *nemoq́; tollet eam.*

## 14. Dominica Septuageſimæ.

*Vinea*, Anagr. *Venia.*

Vinea *cùm* veniâ *ſi poſſeſſoris aditur*,
*Ritè laborantes præmia digna manent:*

## 15. Dominica Sexageſimæ.

*Raros*, Anagr. *Raſor.*

*O Deus*, *haud parcis tua ſpargere ſemina*, raros
*Illa tamen fructus dant*, *quia* * raſor *obeſt.*

* i. e. Satanas.

## 16. Dominica Quinquageſimæ.

*Verbera*, Anagr. *verebar.*

Verbera *quæ propter mea crimina jure* verebar,
*Mænia paſſurus*, *Chriſte*, *verenda ſubis.*

17. Dominica Invocavit.

*Dæmon*, Anagr. *En doma.*

Dæmon *adeſt nobis.* En *hunc, velut ante domâſti,*
*Indomitum, verbô, nunc quoq; Chriſte,* doma.

18. Feſto Matthiæ Apoſtoli.

*Mitis*, Anagr. *ſitim, miſit.*

Te *Pater, ô* mitis *Jeſu, cur* miſit *ab alto?*
*Credo, meam poſſis morte levare* ſitim.
Elypſis Conj. ut.

19. Dominica Reminiſcere.

*Cane*, Anagr. *Neca.*

*Cum* cane *conſilii parvas, de corde, cadentes*
*Depoſco micas, ne modò Chriſte* neca.

20. Dominica Oculi.

*Nobis*, Anagr. *binos, bonis.*

*En* binos! *Chriſtum;* nobis *qui multa prodeſſe;*
*Et Satanam, qui vult ſæpe nocere* bonis.

21. Dominica Lætare.

*Parum* Anagr. *Puram.*

*Sive* parum *panis; vitæ ſat ſerviet iſti,*
*Doctrinam* puram *ſi modò ſemper habes.*

22. Feſto Annunciationis Mariæ.

*Mandatum* Anagr. *Dat manum.*

Mandatum *Domini recipit devota Maria,*
*Et fidei Domino* dat *pia virgo* manum.

23. Do-

23. Dominica Judica.

*Convitiis*, Anagr. *Iis nocuit.*

*Non Chriſto, ſed* iis nocuit, *queîs mordicus ejus*
Convitiis *famam lædere luſus erat.*

24. Dominica Palmarum.

*Turba*, Anagr. *Bruta.*

*Quæ Chriſtum celebrat, palmis comitatur, eundem*
*Mox ea,* bruta *ſequens tollere* turba *cupit.*

25. Die viridium.

*Cœna*, Anagr. *O, neca.*

*Chriſte, tuos hoſtes, ſordet quibus ultima* cœna,
O, *niſi pœniteat, peſte, fameq́;* neca.

26. Die Paraſceves.

*Pati*, Anagr. *Apti.*

*Nos quia non fuimus ſervandis legibus* apti,
*Ne damnaremur, vult Deus ipſe* pati.

27. Feſto Paſchatos.

*Dies*, Anagr. *ſedi.*

*Iſta* dies *homines ſtygiæ, certamine Chriſti,*
*Eripuit* ſedi: *læta ſit ergò* dies.

28. Feria ſecunda.

*Semita*, Anagr. *ſi meta.*

*Optima comperies, age! diverſoria, cœli,*
*In Chriſto tibi* ſi ſemita meta *fuit.*

Aliud.

*Veſpera*, Anagr. *ſpe verâ.*

*Tendit ad occaſum dum ſol &* veſpera *præſtò,*
Spe *nunquam* verâ *deſtituaris, homo.*

30. Feria tertia.

*Spectrum*, Anagr. *Sceptrum*.

*Pacis adornans eſt* ſceptrum, *non futile* ſpectrum;
*Hîc quem ſpectatis veſpere: Jeſus is eſt.*

31. Dominica Quaſimodogeniti.

*Fores*, Anagr. *Feros*.

*Cogitur anguſtus* Eccleſia *claudere ſemper*
*Mæſta* fores, *hoſtes ſæpeq; ferre* feros,

32. Dominica Miſericordias.

*Paſtor*, Anagr. *partos*, *raptos*.

*Agnos, excepto Chriſto, nec ſangvine* partos,
*Nec Satanæ* raptos, *ullibi* Paſtor *habet*.

33. Feſto Philippi & Jacobi.

*Via*, Anagr. *A vi*.

*Si* via *ſit Chriſtus tibi, cælica tecta ſubibis*,
*Ac* à vi *Satanæ tutus abibis eò*.

34. Aliud.

*Domicilia*, Anagr. *I, mica doli*.

*Per vitam qui perq; viam* domicilia *cæli*
*Aſpiras*, I, *non eſt ibi* mica doli.

35. Dominica Jubilate.

*Madeo*, Anagr. *Deamo*.

*Nunc equidem* madeo *lacrymis*, deamo *quia Chriſtum*;
*Jubila poſt fletus ſed mihi certa dabit*.

36. Dominica Cantate.

*Solamen*, Anagr. *An ſolem? an moles?*

*An abitus Chriſti* ſolem *rapit? an tibi* moles?
Solamen *veniet, ſis modò corde pio*.

## 37. Dominica Rogate.

*Preces*, Anagr. *crepes.*

*Qui ſine fruge* preces *nunquam vis fundere, Chriſti*
Ne *ſine præmiſſô nomine multa* crepes.

## 38. Feſto Aſcenſionis CHRISTI.

*Æthera*, Anagr. *Hæreat.*

*Tollitur ex oculis Chriſtus ſuper* æthera *noſtris.*
Hæreat *ut melius cordibus hîcce piis.*

## 39. Dominica Exaudi.

*Necat*, Anagr. *Canet.*

*Quem Mundus* necat *immundus ſub nomine Jeſu,*
*Salvus is in cælo cantica læta* canet.

## 40. Feſto Pentecoſtes.

*Spiritus*, Anagr. *ſi turpis.*

Spiritus *haud ſanctus, vitâ* ſi turpis *es, intrat;*
*Hic purum poſcit cor, animumq́ pium.*

## 41. Feria ſecunda.

*Dilectio*, Anagr. *Lite, dico.*

*Omnes*, Anagr. *mones.*

Lite *caret,* dico, dilectio *quòd Patris* omnes
*Ambiat, & credo quæ bone Chriſte* mones.

## 42. Feria tertia.

*Ovis*, Anagr. *viſo.*

*Non niſi per tectum* fur *irruit; indeq;* viſô
Fure, furore *pavet protinùs intus* ovis.

## 43. Feſto S. S. Trinitatis.

*Flumen*, Anagr. *Fulmen.*

*Baptiſmi* Flumen *non tantum crimina tollit,*
*Sed quoq;, ceu* Fulmen, *Dæmonis arma terit.*

## 44. Dominica I. poſt Trinitatis.

*Dives*, Anagr. *vides.*

*Quas tibi luxurians contraxeris*, *Helluo* dives,
*Ærumnas, nimium ſerò, profectò, vides.*

## 45. Dominica II. poſt Trinitatis.

*Cœnam*, Anagr. *ac nemo.*

*Hic Jova nunc ſumptu dat cunctis ubere* cœnam,
Ac *fermè* nemo *promptus adesſe cupit.*

## 46. Feſto Johannis Baptiſtæ.

*Eliſabetha*, Anagr. *Elias habet.*

*Quas* habet Elias *virtutes, has habet iſte,*
*Quem ſeniô prægnans* Eliſabetha *parit.*

## 47. Dominica III. poſt Trinitatis.

*Peccator*, Anagr. *C. Pactore.*

*A Domino quivis*, Chriſto pactore, *receptus*
Peccator, *purus vivet in arce Poli.*

## 48. Feſto Petri & Pauli.

*Petrus*, Anagr. *turpes.*

Petrus, *ut agnovit Petram cavet undiq;* turpes
*De Chriſto gloſſas, quas mala turba fovet.*

49. Aliud.

*Petrus*, Anagr. *Subter. p* in *b.*

*Petra*, Anagr. *Repta.*

Hâc ſubter petra, *quam* Petrus *ritè fatetur*,
Tu *ſenſu* repta (*devia linque*,) *pio.*

50. Feſto Viſitationis Mariæ.

*Maria*, Anagr. *Amari.*

*A ſe cordicitus quò conteſtetur* amari
*Cognatam*, *viſit virgo* Maria *pedes.*

51. Dominica IV. poſt Trinitatis.

*Miſericordia*, Anagr. *Miſero dicari.*

*Patris ad æterni*, miſero, *Chriſtjane*, dicari
*Exemplum debes*, *nec renuiſſe ſtipem.*

52. Dominica V. poſt Trinitatis.

*Rete*, Anagr. *tere.*

Nocte, *dieq́, ſuum ceu Petrus*, *& haud ſine fructu*,
*Tu*, *Chriſti juſſu*, *ſic* tere rete *tuum.*

53. Dominica 6. poſt Trinitatis.

*Juſtitia*, Anagr. *ita juſti.*

*Non*, *ut tu Phariſæe*, *ſtudent* ita *vivere* juſti;
*Nam ſalvare nequit nos tua* Juſtitia.

54. Dominica VII. poſt Trinitatis.

*Cibare*, Anagr. *Acerbi.*

*Qui prius exilii defectum guſtat* acerbi
*Sponte ſuâ*, *hunc Chriſtus ſponte* cibare *parat.*

## 55. Feſto Jacobi Apoſtoli.

*Ignare*, Anagr. *I, regna.*

O, ignare *tuæ, qui poſcis inepta, ſalutis,*
I, regna, *quando de cruce pendet Herus.*

## 56. Dominica VIII. poſt Trinitatis.

*Rapacis* Anagr. *Pacâris.*

*Quotquot oves dederis, nî cedis ovile*, rapacis
*Nunquam* pacâris (*hinc fuge,*) *labra lupi.*

## 57. Dominica IX. poſt Trinitatis.

*Oeconomus*, Anagr. *Sumo, noceo.*

Oeconomus, *faciens vocis quod verſio prodit,*
Sumo *ait &* noceo; *nomen & omen habet.*

## 58. Dominica X. poſt Trinitatis.

*Hieruſalem*, Anagr. *Heu res almi,*
Item, *Heu mera lis.*

Heu, *quàm* res, *urbem quondam decoraverat* almi:
Heu! Hieruſalem, lis mera *ſpurcat eam.*

## 59. Dominica XI. poſt Trinitatis.

*Corda*, Anagr. *Cardo, Draco.*

Corda *velut* Cardo *cæli contrita recepit;*
*Sic ſemper contra* corda *ſuperba* Draco.

## 60. Dominica XII. poſt Trinitatis.

*Mutus*, Anagr. *Sumtu.*

A *Chriſto* mutus, *Medicorum Principe, nullô,*
*Labra, ſuo* ſumtu, *libera, dante capit.*

61. Dominica XIII. poſt Trinitatis.

*Iter*, Anagr. *rite, teri.*

*Perſequitur qui* ritè *ſuum conſtans* iter, *haud eſt*,
*Dæmonis ut timeat verbere poſſe* teri.

62. Aliud.

*Levitas*, Anagr. *Sat vile.*

Vile ſat *eſt, Samaritano* Levita, *Sacerdos*,
*Quod præſtant; viſô tranſit uterq; locum.*

63. Dominica XIV. poſt Trinitatis.

*Samaritanus*, Anagr. *Sanus amârit.*

*Cur* Samaritanus *Chriſtum non* ſanus amârit;
*Ad votum demum ſenſerat æger opem.*

64. Dominica XV. poſt Trinitatis.

*Servire*, Anagr. *everris.*

*Hem, nihil* everris, *Dominis* ſervire *duobus*
*Qui quæris; potiùs Regna beata pete.*

65. Dominica XVI. poſt Trinitatis.

*Vidua*, Anagr. *Uvida.*

*Cujus erat facies lacrymis priùs* uvida *prorſùs*
*Ob Natum*, vidua *eſt exhilarata citò.*

66. Dominica XVII. poſt Trinitatis.

*Convivia*, Anagr. *Icon viva.*

Icon viva *jubet, dùm quis* convivia *adornat*,
*Abſint inſidiæ, quas Phariſæus alit.*

67. Feſto Michaëlis Archangeli.

*Michaël* Anagr. *Hic malè; Hic alme.*

Hîc *ades*, hîc Michaël *nobis* malè *ne ſiet* alme,
*Dæmonis inſidias tu cohibeq; vafri.*

68. Do-

68. Dominica XVIII. poſt Trinitatis.

*Mandatum*, Anagr. *Damnatum*.

*Præcipuum quòd ſit* Mandatum, *dilige, noris;*
*Ibis* damnatum, *tu niſi cuncta facis.*

69. Dominica XIX. poſt Trinitatis.

*Regitur*, Anagr. *Geritur.*

*Qui per amicos nunc* regitur, geriturq; *grabatô,*
*Jam* regit, *is, lectum, quem* gerit, *ipſe ſuum.*

70. Dominica XX. poſt Trinitatis.

*Veſtis*, Anagr. *Te ſuis.*

Non ſuis *inſtar* te *tu* Regis *ad atria confer,*
*Congrua ſed* veſtis *te ſine labe tegat.*

71. Feſto Simonis Judæ.

*Odit*, Anagr. *Dito.*

*Me propter, Nomenq; meum quos Mundus hic* odit,
*Hos ego, Chriſtus ait,* dito *quiete Poli.*

72. Dominica XXI. poſt Trinitatis.

*Regius*, Anagr. *E rugis.*

Regius è rugis *frontem mox explicat, ægrum*
*Quamprimùm* Natum *ritè valere videt.*

73. Aliud.

*Redit*, Anagr. *Ridet.*

*Dum* redit *à Chriſto mox* ridet *Regius, atq;*
*Dum morbus* cedit, credit, *amatq;* Deum.

74. Aliud.

*Centurio*, Anagr. *uti cerno.*

*Sic* uti cerno, *Deus, tibi quòd* Centurio *credit,*
*Ut credam firmâ, da quoq; mente mihi.*

75. Do-

75. Dominica XXII. poſt Trinitatis.

*Servus*, Anagr. *Verſus.*

*Debitor is* ſervus *dimiſſus*, verſus *atroci*
*In ſocium vultu, tartara vinctus adit.*

76. Aliud.

*Dominus*, Anagr. *nî modus.*

Nî modus *in ſocios, illis remittere nævos,*
*Servetur*, Dominus *debita nulla teget.*

77. Dominica XXIII. poſt Trinitatis.

*Diſcipulus*, Anagr. *Dulcis, pius.*

Dulcis *utut miſſus Phariſæi voce videtur*
Diſcipulus, *non eſt is quoq; mente* pius.

78. Dominica XXIV. poſt Trinitatis.

*Medicus*, Anagr. *Cedimus.*

*Optimus eſt* Medicus *Chriſtus, cùi* cedimus *omnes,*
*Nos Medici terris claruimus quot in his.*

79. Dominica XXV. poſt Trinitatis.

*Craſſa*, Anagr. *Sacras.*

Craſſa *caligo* ſacras *cùm penè repleverit ædes,*
*Ampliùs haud procul eſt finis ab orbe ſuus.*

80. Dominica XXVI. poſt Trinitatis.

*Dextera*, Anagr. *Rex ad te.*

*Abſis à pravis, ut te ſibi* dextera *Chriſti*
*Jungat, &* ad te Rex *dicat, amice, veni.*

81. Dominica XXVII. poſt Trinitatis.

*Nocte*, Anagr. *Necto.*

*Ceu venit, ut rapiat, mediâ fur* nocte *repentè;*
*Sic (inquit Judex) non ego* necto *moras.*

82. Aliud.

82. Aliud, ex Matth. 25.

*Virgines*, Anagr. *Nî urges.*

*Lampada*, Anagr. *Da palam.*

Nî *fatuas* urges, *tardant exire, puellas:*
Lampada da palam, *dicito: Sponſus adeſt!*

83. Dominica I. Adventus.

*Hoſianna*, Anagr. *Ah, Sion! an?*

*Rex tuus*, ah, Sion! *tibi jam manſvetus adeſt*, an?
*Ignoras? in te nunc* Hoſianna *ſonet.*

84. Feſto Andreæ Apoſtoli.

*Piſcatores*, Anagr. *Ipſos arcet.*

*Qui* Piſcatores *vocat ad ſua munia Chriſtus*,
*A pravis* ipſos arcet, *ut Aſtra colant.*

85. Dominica II. Adventus.

*Signa*, Anagr. *Agnis.*

*Extremi pœnæ veluti ſunt* ſigna *diei*
*Hædis*; *ſic* agnis *nuncia certa boni.*

86. Dominica III. Adventus.

*Nuncius*, Anagr. *vis nunc.*

Nuncius, *en*, & nunc *Chriſtum tibi monſtrat adesſe:*
*Hunc, ſi ſalvari* vis, *Phariſæe, vide.*

87. Dominica IV. Adventus.

*Clamantis*, Anagr. *clam ſinat.*

*Non ſe, ſed Chriſtum, venturum prædicat esſe,*
*Vox* clamantis, clam *ne* ſinat, *ipſa docet.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0034-0

## 88. Feſto D. Thomæ.

*Chriſte*, Anagr. *Hic tres.*

*Plures* hîc *quàm* tres *teſtes te vivere*, Chriſte,
*Sunt, tamen hoc Thomas credere velle negat.*

## 89. Feſto Nativitatis JESU CHRISTI.

*Puer*, Anagr. *Rupe.*

*Qui natus* puer *eſt, eſt ſaxum* * rupe *Prophetæ*
*Avulſum, tetigit, quod ſcio, nulla manus.*

* Dan. 2, v. 34.

## 90. Aliud.

*Jeſu*, Anagr. *Viſe.*

Jeſu, *qui nobis datus es, ſolamine noſtra,*
*Ne deſperemus, pectora* viſe *tuô.*

## 91. Feſto Stephani, Proto-Martyris.

*Lapides*, Anagr. *Lepidas.*

*Qui* lapides *ſenſit, Chriſti pro nomine, duros,*
*Huîc dapes* lepidas *ſpondet in æva Deus,*

## 92. Feſto Johannis Evangeliſtæ.

*Juſſit*, Anagr. *Sit jus.*

*Paſtoris* ſit jus, *ut Petrum* juſſit *Ieſus:*
*Primus ama Dominum, paſce deinde pecus.*

## 93. Die Infanticidii Herodis.

*Innocuis*, Anagr. *Non civis.*

*Qui nocet* innocuis *infantibus, ille perennis,*
Non *Chriſti*, civis, *crede, Charontis erit.*

94. Do-

## 94. Dominica poſt Nativitatem CHRISTI.

*Mirari*, Anagr. *Rimari.*

Mirari, *non* rimari *Miracula debes.*
*In ſignum poſitus Jeſus in orbe manet.*

## 95. Aliud.

*Gladius*, Anagr. *Algidus.*

Algidus *ut* gladius *Mariæ penetrale penetrat;*
*Qui credis ſuffer ſic quoq; dira crucis.*

* * *

## 96. In contemptorem Verbi divini.

*Evangelium*, Anagr. *Age, num vile?*

*Dic*, age, *cur* Evangelium *fugis?* Ex *Patris ipſe*
*Attulit id Chriſtus* (num *tibi* vile?) *ſinu.*

# LIBRI I. FINIS.

# LIBER II.

## *Varia* Epi- & Anagrammata *comprehendens*, Luſûsq; *verborum*.

### 1. *Principium* à Jove, ab eodem & *Finis*.

UT *cum* Sole *diem, ſimili, cum* Numine *ſummô,*
*Incipe tuq; modô, crede beabit opus.*
*Atq; diem veluti finire ſolemus ejusdem*
*Cum face; ſic factum finiat omne Deus.*

### 2. Labor à DEO juſſus.

*Ut volucrem celeres Numen conjecit in alas;*
*Impoſitus manſit ſic hominiq; labor.*

### 3. Mores antiqui & novi.

*Mos fuit antiquis, etſi fortuna cuiquam*
*Felici dederat ſcandere celſa gradu:*
*Non tamen ut viles, viles ſpernebat amicos;*
*Hoc minùs elatus, quò magis altus erat.*
*Aſt nunc ſi attingat quis fortè cacumen honoris,*
*Multò, crede, minor vilis amicus erit.*

### 4. Virtus & Invidia comites inæquales.

*Phæbus amat lucem, ſed ad umbram flectitur umbra*
Ut Sol, *ſic* Virtus, Livor *&* Umbra *pares.*
*Livor enim, nitidi cùm luminis æmula virtus*
*Anteriora capit, poſteriora ſapit.*

## 5. Decrementa boni, mali incrementa.

Incrementa *boni ſunt* decrementa *malorum*
*Unumquodq; ſuas hîc patiturq; vices.*
Bella DEI *nos Mortales cùm* munera *grati*
*Noſcere non volumus, nolumus eſſe pii.*
*Hinc perferre mali vaſtantia cogimur, oris*
*Quæ movet in noſtris, dextera,* bella, DEI.
Decrementa *boni ſic* incrementa *malorum*
*Sunt, ſat & hinc* pœnæ, penè *cuiq; fluit.*

## 6. Sapiens immortalis.

*Pallida mors parcit nulli, nullum excipit, omnes*
Atras *ſub leges mors vocat atra ſuas.*
*At Sapiens* ratas *quanquam ſit morte vocatus*
*Sub* leges; *vivet, dùm bona facta* leges.

## 7. Tres Mundi Status.

Paſtor *alens animas devotas, mente precatur*
*Devotâq; Jovam, donet ut axe pios.*
*Quos* Princeps *ſapiens nudatô protegit enſe,*
*Hos dignos pœnâ plectit, atroxq; ſcelus.*
Ruſticus *aſt cunctos alit hos ſudore fluente:*
*Paſtor quando* orat, *gnavus arator* arat.

## 8. In Vitum cornutum.

*Bos generat* vitulos, vitulos *quoq; tu,* Vite, *gignis,*
*Differt ſic inter teq;, bovemq; nihil.*
*Ex vitulo tandem taurus fit cornua geſtans;*
*Quando tuis dabitur curva corona bovis?*
*Dico: ſui ſimilem quando per tempus habebunt,*
*Ex ſimili Matris conjuge, progeniem.*

## 9. De bello Svecico-Polonico.

*Retrogradum.*

*Principibus mala ſint hoſtis non, Sarmata, veſtris*
*Numina damnoſis ſint mala conſiliis.*
*Arminius regat haud veſtrates robore ſtratô,*
*Sarmata, Dux Varus, nunc dato Cœlipotens.*
*Deſidero magè nunc hoſtes, non, Sarmata, vosmet*
*Vulnere proſtratos, dum colo Sarmatiam.*
*Conſilium ſine re ſit nil, ſint mœnia vobis*
*Ferrea, non veſtris ſit fuga militibus.*
*Lætitiâ grave, non vacuum, ſit perpete pectus,*
*Perpete ſit vacuum non grave triſtitiâ*
*Triſtitiæ mare, non ſint uſûs hoſtibus horum*
*Nominis hi fines vel loca Sarmatiæ*
*Membrilegis data ſit mors acto protinus enſe,*
*Hoſtibus, haud vobis ſi vita, riſerimus.*
*Luminibus quaſi, ſed veris non nomine tantum,*
*Utere nunc ducibus, gens ſata Sarmatiæ.*

## 10. Eteoſtichon belli hujus retrogradum.

*PrIncIpIbVs bona ſVnt LeChI, non, SVeCICe, veſtrIs,*
*nVMIna, VoVerVnt; ſVnt bona* ConsILIIs.

## 11. Mors & Sors.

*Perpetuis homines* Mors *&* Sors *fallere curis*
*Difficiles certant, non ſibi disſimiles.*
Mors ſepit *tumulô, vix quando caleſcere* cæpit,
*Mortalem*; *cûi* ſors erva *dat*, æra *rapit.*
Mors parcit *nulli, nullum* Sors farcit *in ævum:*
Mors *malè diſtingvit*, Sors *malè diſtribuit.*

12. Luſus in vocabulo *Roma*, ex quo elicitur per Anagramma:

*Amor, mora, armo, ramo.*

Roma *tui tibi rarus amor, quæ diligis omnes:*
Roma *caput Mundi, ſis caput æq;* moræ.
Roma *leonino multos perterruit* armô;
Armô *ſis prompto dum Mahumetus adeſt.*
Ne mora, Roma, *tibi ſurgenti, ſis peto, Turca,*
*Fundere quem* Ramo* *maxima Roma potes.*
*Ecce meos, hoſtis dicit, ſic* armo *ſodales,*
Nî mora, *crudelis te meus uret* amor.

* Ezech. 17. v. 22. Zach. 6. v. 12.

13. *Rem, mu-rem, merum.*

Luſus.

Rem *ſcio, cui tantùm ſi ſyllaba juncta ſit una,*
*Exprimit* um rem-um, *munia mancipii.*
*Hanc ſi præponas illi verſam, tibi prodit*
Brutum, *quod panem rodit, & odit homo.*
*Nunc totam demum vertas & in ordine vocem,*
*Exprimet hæc* fontem Pegaſeumq; *tibi.*
*Cujus aquis mæſtus vel &* Heraclitus *amores*
*Concinit immerſus, ſitq;* Poëta Midas.

14. In Momum.

*Satus*, Anagr. *At Sus; aſtus; uſtas.*

*Non* ſatus *humanô ſemper mihi viſus es, at* ſus
*Progenuit porcô te, puto,* Mome, *patre.*
*Nam tibi nativus genitoris abhinc venit* aſtus,
*Ut, quicquid quivis exerit, ore geras.*

*Præſen-*

*Præſentare ſues hoc tantum deficit* uſtas
*Ut poſſis, flammis & tibi barba cadat.*

15. Ænigma I.

*Unus in Orbe valet, qui ſi ſapiens foret unus,*
*Totius Mundi Vulgus & omne foret.*
*Hunc, mihi qui primâ poterit vice prodere, cultum*
*Dixero, quamdudum* ſtultus *in orbe valet.*

16. Vinum.

*Pota ſimul proſunt ac obſunt vina fruenti:*
Lætificant *parcè*, lethificantq; *nimis.*

17. Dat veniam corvis.

Torquibus *ingentûm, parvorum colla* catenis
*Sæpe nimis furum torquet iniqua* Themis.

*Torques*, Prov. 1. v. 9. & alibi in S. L. de Sapientia uſurpatur. Hodiè callidi & fallaces Sapientes dicuntur.

18. Mors piis via ad vitam.

*Cùm mea per Mortem tandem collata ſepulchro*
*Membra reponentur, plena* quietis *erunt.*
*Et mea per vitam tandem ſublata ſepulchrô*
*Membra Poli ſtabilis plena* ſalutis *erunt.*

19. De *Minerva* & ejus *veſtitu*, propè ejus effigiem.

*Miraris, video, ſpectator, ut æmula Martis,*
*Et quibus ex cauſis, eſſe Minerva queat?*
*Dico: locata ſuæ caſum cuî fulcra minantur*
Artis, *huic* Martis *fulgura ſæpe placent.*
*Annuit ipſa libens facto, curatq́, Minerva*
*Ænea* crura, *nihil quem ſua* cura, *juvent.*

*Fallor? an hinc iſti quondam dedit arma vetuſtas,*
*Ne Mars, ut mollem, ſpernat, ametq́; Deam.*
Vid. Mythol. Natal. Com. lib. 4. c. 5. p. 299. & ſequ.

## Nubtiale.

### 20. Bellum inexpertis dulce.

*Dulcis inexperto vulgari murmure belli*
*Fama, ſed expertis fertur amara viris.*
*Credo. Sed interea quæro: num* bella Gradivi, *
*De quibus id verum, jureq́;* bella *voces?*
*Hæc ego* bella *puto, tam non quàm ritè peritis,*
Dulcia, *quæ junctim* nubtaq;, Virq; *gerit.*

* *Gradivus* appellatus eſt Mars, à gradiendo in bello, ſive à vibratione haſtæ; Græcè κραδαίνειν: vel à gramine, quia corona graminea, in re militari, maximæ fuit honorationis, juxta Feſtum. *Gramen* & Marti dicatum fuit. Natal. Com. Mytholog. lib. 2. c. 7. p. 162.

### 21. Caſtellum.

*Quod naturali defunctis morte ſepulchrum,*
*Caſtelli eſt vivis fundus idemq; ferè.*

### 22. Originatio in quendam.

*Quæ non conveniunt aliàs bene* mamma-*voraxq́;*
Lucius; *(hic penitus namq; voraret eam.)*
*Iſta tuo in propriô, notum ſi profero verum,*
*Nomine conveniunt:* ἔτυμον *ipſe vide.*

### 23. *Mars,* retrò *Sram;* german. Schram.

*Indagare volens,* Mars *qualia præmia donet,*
*Illius inverſô nomine, Teuto, ſcies.*

## 24. Alluſio & Illuſio in *Catulum*.

*Non habet in temet jus, robora nulla Senectus;*
*Es* Catulus *vivens, is moriensq́; manes.*

Vox *Catulus* propriè & appellativè ſumitur.

## 25. In Paridem.

*Paris*, Anagr. *Ripas; rapis.*

O Paris, *ad patrias alienam, perdite,* ripas
*Cum* rapis *uxorem, funera multa* paris.

## 26. In naſutos.

*Multa frequenter adhuc facio, velut ante peregi,*
*Pleraq; quæ multis non placuiſſe ſcio.*
*Sed nec &* Omnipotens *facit omnibus omnia rectè:*
*Quî, quæſo, præſtem, quàm* Deus *ipſe magis?*

## 27. In Titum.

*A multis multi* Tituli *ſibi ſæpe voventur,*
*Quos* Tite, *cum nemo dat, facis ipſe tibi.*

Scil. liberos ſ. filios minorennes *Titulos*.

## 28. Sortis inconſtantia.

*Quid juvat ad ſummi nos ſorte cacumina tolli*
*Infima ſi poſt in dejiciamur atra?*

## 29. Strena.

Pl. Rev. DN. CHRISTOPHORO Rauſſendorff/
Wolavienſ. Paſtori ac Seniori Primario,
Affini noſtro.

*Intro*I*t*V*s fe*LIX, *fe*LIX *ſ*I*t & e*XI*t*V*s ann*I,
*n*VMI*ne d*IVI*no Tete tegente no*VI.

*IngreſsVs feLIX, feLIcIor eXItVs annI*
*qVaM prIſcI, ChrIſtI LVCe LeVante, noVI.*

Cum exitu præteriti, graviter decumbens, fere
vitâ excesſit.

## 30. In Suem.

*Sus, ſi ſeu dextram verſus ſeu verto ſiniſtram,*
*Semper idem brutum cœnivorago manet.*

## 31. In Bardillum futilem.

*Scisnè tibi quænam, velut autumo, patria verè*
*Progenito, quodnam conveniatve Solum?*
Bernenſis *certè mihi, mi Bardille, videris,*
*Urſinam quæ Gens fert aſinina cutem.*
i. e. Bärn-Häuter.

## 32. Ænigma II.

*Dic, quicunq; potes Anagrammata cudere catè,*
*Nec conjecturis ambigis ipſe tuis:*
*Quodnam, dic, animans includit vocula* nares?
*In lympha* nâres, *ſi quoq; tale fores.*

## 33. Nox & Iter.

*Nox ad iter nunquam faciendum fertur amica,*
Nam *Neſcis* ~~enim~~ *quando quis tibi* nocte nocet.

## 34. *Anſer*, Anagr. *Arens.*

*Ignibus* anſer arens *ſit, qui vivens modò plumæ,*
*Pingvedo, ſtrepitus, ſangvis & oſſa fuit.*

## 35. Ad JESUM CHRISTUM.

*Quod potero, faciam, Jeſu, quod non, poteris* Tu;
*Da mihi, quod poteris, omne poteſſe queam.*

## 36. In Servos.

*Quiſq; quidem geſtat ſua munia,* nomine Servus,
*Rarus at ad nutus,* omine verſus *Heri.*
*Augmento * duplici potiùs per-V*erſus *habetur,*
*Et* Sus *is verè degenerando fiet.*

* 1. Syllaba per. 2. Litera e, in voce verè.

## 37. Strenam à DEO datam, Amico commendans.

*Quod Deus hocce novo Tibi tempore pignus amoris,*
*Infantem, dederit, gratulor atq; precor:*
*Pignus ut hoc poſt ſe trahat hùic æqualia multa,*
*Donec Avi, Proavi nomen adeptus eris.*

## 38. Verbum DEI verum.

*Literulis illuſtre* DEI *quibus exſtruo* Verbum,
*Si longam tollas, ſic, velut eſt, id habes.*
*Atq; levem, quamvis teneam, non credere ** Verpum,
*Hoc* verbum verum *credo tenere ſonum.*

**Verpus* medius eſt digitus, quô Judæi Sabbathô anum purgare feruntur, hinc Judæi *verpi* dicti, Verbum DEI lacerantes,

## 39. In quendam de progenie Momi.

In Muſâ *non nota tibi qui carpere gaudes,*
*Mox* Aſinum *prendes auribus ipſe tuis.*

## 40. *Jus*, per Anagr. *Vis; uſi; ſui.*

*Nil niſi* Vis Jus *eſt, noſtrô quô quilibet* uſi
*Tempore ſunt, Juris* Vis *modò nulla viget.*
*Ante cuiq; ſuum tribuens; poſſeſſor & agri*
*Cogitur alma* ſui *cedere jura* Sui.

41. Amor Mundi.

**Wir bauen alle feſte.**

*Tempora* curamus, *ſed quæ poſt iſta futura*
*Tempora,* curamus *ſoſpite mente minùs.*

42. In Cupidinem.

*Cupido,* Anagr. *Pudico.*

*Sæpe* Cupido *vadit fatô, raroq́;* pudicô,
*Verſio ceu per ſe vocis & ipſa docet.*

43. *Ambiguus,* Anagr. *Biga ſuum.*

Ambiguus *quid ſit, quid & huîc æqualiùs auſim*
*Dicere, non conſtat, ſit niſi* biga ſuum.
Biga ſuum *nunquam dudum ſimul hæret in uno*
*Tramite; ſic ſemper fluctuat* ambiguus.

44. Ad JESUM.

U*ndiq; nulla mihi* Vis, jus *nullum, niſi* JESUS;
JESUS *es? Esq́;* meum Jus, *mea* visq́; *ſimul.*
Vis *mea, quâ poſſum proſternere quemlibet hoſtem,*
Jus, *quô cœlorum prædia dico mea.*

45. Strena P. A. miſſa.

*Exit qui fermè, feliciter exeat annus:*
*Æquè felici terq́; fruare novô.*

46. P. D. Remiſſa.

Februa *ſit* fibris *felix,* febres *quoq;* Luna
*Tollat, ut & redeat ſæpe ſerena* Tibi!

47. Venus.

*Dum laſciva* venis, vanas *per ut otia* venes
*Multorum* venas, *corripis,* * *esq́;* Venus.

*ab edo.

Inde

*Inde meas* venias *nunquam corripere* venas,
Donec *ego* veniam, *dem* veniamq́; *tibi*.

## 48. Bona Cauſſa triumphat.

*Communis ſermo fert, quod bona* cauſſa *triumphat*,
*Unica dematur litera* caſſa *cadet*.
*Demis adhuc unam*, Caſa *tunc humilis modò reſtat*,
Caſſa *tibi ſemper cum bona* Cauſſa *cadit*.

## 49. Macedo.

Evaſit *famâ* Macedo *celeberrimus olim:*
Invaſit *multos ſæpe* macedo *fame*.

## 50. Commendatio libri medici.

*Arte licet medicâ Medicus non ipſe peritus*
*Ignorem, quicquid Pharmacopæa tenet.*
*Non tamen ejusdem volo lividus oſor haberi,*
*Atq; minus multò, teſtor, is esſe volo.*
*Hæc mea quin potius, medicâ quod nuper amicus*
*Arte peritus opus condidit, Oda probat.*
*Hoc opus, hic labor eſt! Hæc experientia multa,*
*Multaq́; ſedulitas cognita progenuit.*
*Id ſi, lector, opus conditum tam bene nôris,*
*Authorem veluti prædico noſſe palam;*
*Impenſi nunquam precii te forte pigebit,*
*Nam nihil Authoris me (neq; cauſa) piget.*
*Tu verò meſſem, pigeat non cujus, Amice,*
*Demete, quâ talis, ceu tua, digna ſeges.*

## 51. In quendam.

*Num genuina tui tibi vis myſteria dicam,*
*Nominis, & quânam voce voceris, homo?*

*Perfidis*

*Perſidis unus erat quondam de Regibus* * Ochus,
*Unica dematur litera, nomen habes.*

* Dempto u ſonat germanicè.

## 52. Judicium *naſi*, vel ex *naſo*.

*Non* ſanus *quivis*, naſus *cuî pendet ab ore*,
*Integer*, an ſus *ſit*, *quis dubitare poteſt.*
*Perſarum* Suſan *quondam gens multa frequentans*,
*Ambigo*, *num fuerit non niſi* ſanus *ibi.*

## 53. *Veſpera*, Anagr. *ſpue rea*; *ſpe vera*.

*O mea quandoquidem nunc adſit* Veſpera, *Pſyche*,
*Crimina contritô conſpue corde* rea.
*Ac* verâ *nitare ſacro* ſpe *ſangvine Chriſti*,
*Sic erit à Domino* veſpera *tuta tibi.*

## 54. In quendam Parochum.

*Te* commendatum *licet hîc à pluribus ajas*,
Commendicatum *turpiter*, *alter ait.*
*Hinc ſequitur*, *te pro* commentatore *futurum*
Commentitorem, *codice teſte ſacrô.* Jer. 23. v. 21.

## 55. Ad invitationem Amici.

*Ad* leporem *voco vos*, *Fratres*, *adferte* lepóres:
*Cras matutino tempore adesſe precor.*

## 56. Reſponſio.

*Tam bene cras mihi quando vocâris*, *atq; vocaſti*,
*Asſus erit tuus haud absq;* lepóre lepus.

## 57. *Cervus*, Anagr. *Urceus*.

Urceus *agreſti ſi tam citò*, *ſæpeq; turbæ*,
*Nobilibus* cervus *ceu celer*, *effugeret.*

Nobi-

*Nobilibus multis curæ plus eſſet ut illum*
*Venando caperent, quin cuperentq́ magis.*
*Illô nam plebis tacitè venantur* acervos,
*Hunc propter luſum ſic venerantur ii.*

58. Ænigma III.

*Romanô donata forô vox eſt, cui prima*
*Si ſemel accedat litera*, acervus *erit.*

59. Ad *Cureum* Chronicum.

*Curâ tutè tuâ facis, & calamo præeunte,*
*Currendo* cervum *quò ſuperare queam.*

60. Emblema in avarum ac parcum.

*Cado*, Anagr. *ac do.*

*Maturum viridi quod decidit arbore pomum,*
*Eſt quaſi penè* cado *diceret*, ac do *tibi.*
*Hoc quenquam, parcum niſi, non Emblema notabit,*
*Non niſi quum prodeſt, morte repentè cadit.*
*Mortis enim ſtimulô tactus cadit ac dat avarus,*
*Mite velut pomum dat ſimul atq́ cadit.*

61. In Gulonem.

*Noſtra tibi ſi non ſat ſunt* jentacula, *vocem*
*Mutatam numerô divide eriſq́ ſatur.*

62. Oratio.

O res *non parvi, crebrò ſi gnaviter* ores,
*Momenti! ſed non ſis nimes ore* ſerô.

63. *Catharina*, Anagr. *Itan' chara?*

*Si quis quærat* itan' *tibi* chara *libet* Catharina?
*Affirmabo libens, dicoq́ chara libet.*

64. Pœ-

### 64. Pœnitentia tollit pœnam.

*Crimina confeſſi, læti* Pœana *canemus,*
*Nec poterit nobis* pœna *nocere magis.*

### 65. Pœnitentia DEO grata.

*Peccata*, Anagr. *accepta.*

*Quàm non ſunt* accepta Deo peccata *malorum;*
*Mox ſua confeſſi crimina, crede, placent.*

### 66. Ænigma IV.

*Vox, quæ ſignificat* foveam, *germanica prodit,*
*Hâc qui Joſephum condidit arte, Virum.*

### 67. Ars non habet oſorem niſi ignorantem.

*Eſt* aſinis id *conſvetum, ut cultoribus Artis*
*Tendant* inſidias *tempus in omne graves.*

### 68. Ad CHRISTUM, ex eodem.

*Chriſte tuos* niſi *Tu citò* adis *ac fortiter agnos;*
*Nemo çoërcebit Dæmonis* inſidias.

### 69. Militia, Malitia.

*Militiam cernes in noſtro milite noſtram:*
Altera *mutetur. Militat omnis homo.*

### 70. *Marcus*, Anagr. *Sacrum.*

*Magnô Evangelium* Marcus *conamine* ſacrum.
*Scribſit, & obtinuit dogmate Marcus idem.*

### 71. Ænigma V.

Somnia *detrudunt eadem quem* ſomnia *tollunt:*
*Hic quisnam fuerit, conjice quisquis ades.*

### 72. Invitatio Amici.

*Vive bene, ac ad me noli differre venire;*
*Namq; priusquam tu, non bene vivo, venis.*

### 73. Strena.

*Qui novus incepit, quamvis jam penè ſeneſcat*
*Annus, adhuc Votum tu tamen hocce cape:*
*Qui novus incepit, felici ſorte refertis*
*Permultis faciat principium iſte, precor.*

### 74. Ad devotam invitationem Amici hanc.

*Peccavi, fateor, doleo, veniamq́; requiro,*
*Hanc primô Juni, te mediante, peto*
*Huc igitur venias conſveto tempore, Frater;*
*Quid dico,* Frater? *Rectiùs ajo:* Pater.

### 75. Reſponſio.

*Optima peccanti fertur medicina fateri*
*Eſſe, nec immeritò, nam quod is optat habet.*
*Uteris hac poſtquàm, Frater, de corde fatendo*
*Crimina, divinam ſpondeo lætus opem.*

### 76. La, le, li, lo, lu.

*Quæ pueris primùm lecturis labia formant,*
*La, le, li, lo, lu, quisquis es usq; nota:*
*Pone* latus *lætus* Lethi *memor, atq; polorum:*
*Littus adi* lotus, *criminis absq;* luto.

### 77. Obſequium maritale.

*Subdita ſit ſemper pro more* Marita Marito
*Sitq́; maritato chara Marita viro.*

### 78. Patiens morbi.

*Cuilibet, hoc noſtro fuerit qui tempore morbi*
*Cujusdam* patiens, *eſto crumena* patens.

79. For-

79. Formicæ Sedulitas.

*Ut formica ſuo quærit ſibi tempore micas,*
*Sic alimenta ſibi quærere debet homo.*

80. Votum copulandis dicatum.

*Solamen Jeſus veſtrum ſit, ſitq; per omnem*
*Sors vitæ curſum, ſolaq; veſtra Salus.*

81. Ænigma VI.

*Nocte ſuos unâ tulerit quod fertile fructus*
*Lignum, qui dices, laude beandus eris.*

82. Aliud VII.

*Verba quis audivit quondam nonnulla loquentem,*
*Cûi fuit haud proprium talia verba loqui.*

83. Aliud VIII.

*Dic, quibus in terris, nullo faciente ſepulchra,*
** Ampla cohors hominum viva ſepulta fuit?*

*Non multitudo tantùm ſed & dignitas illius cohortis indigitatur. Hodie præclari amplisſimi vocantur.

84. Strena in Anagrammate, Familiari cuidam, ob mortem filii mœſto dicta.

*Ut* Libanus *cedros,* Albinus *ſic quoq;* Natos
*Gignit & in noſtro jactitat orbe ſuos.*
*Aſt cadit in* Libano *quædam cum turbine cedrus,*
*Natus &* Albino *morte repentè cadit.*
*Attamen, haud,* Libanum *velut unquam deficit arbor,*
Albinum *Nati deficiantq; ſui.*

85. Alia

85. Alia.

*Annus abhinc fluxit, luxit tamen ocyor annus*
*Alter; is Affinis, tollat amara precor.*

86. Ad CHRISTUM.

*Sponté ſtruis nobis, Servator, ad æthera* pontes,
*Sponté tibi grates, fac, ut agamus oves.*

87. Ænigma IX.

*Est animal tot habens, quot Mundus circiter annos;*
*Cujusvis Sponſi quod juveneſcit ope.*

88. Aliud X.

*Præſtitit una dies; alias quantum duo præſtant;*
*Atq; diebus nox una duobus erat.*

89. Aliud XI.

*An mihi de vivô vivi narrare ſepulchrô*
*Cujusdam poſſis quid, modo ſcire volo.*

90. Ex tempore P. A.

*Scribere ſi dicas me non* ex tempore *Verſus*
*Poſſe bonos; ſcis, ſunt tempora, namq; mala.*
*Tempora ſi fuerint meliora, Tibi meliores*
*Transmittam Verſus; hos properanter habe.*

91. Reſponſ. P. D.

*Quos mihi miſiſti ſcribtos* ex tempore *Verſus,*
*Dicet eos mecum, qui leget, eſſe bonos.*
*Tempora ſeu mala ſint;* ex tempore, *deſine nunquam*
*Ad me Tu Verſus ſcribere porrò bonos.*

92. In avaros, alieni raptores.

*Pars*, Anagr. *Raps.*

*Plurima* pars, *ſua* pars *donec ſibi detur ab Alto*
*Non patitur* rips, raps, *ſed rapit ipſa ſibi.*

93. Seculum rapax.

*Paritur*, Anagr. *Rapitur.*

Nunc *aliis aliis* paritur, rapiturq́; *facultas*,
Arte *prout quisquis vel quoq;* marte *valet.*

94. In *Agnetam* quandam *agnitam*.

Non Agneta *viris quondam fuit* agnita *Martyr*;
*Aſt* Agneta *viris* agnita *noſtra ſatis.*

95. *Belga*, Anagr. *Gleba*.

*Gentibus ex reliquis quid*, Belga *ſuperbe*, *ſuperbis*,
*Qui tamen es magni parvula* gleba *globi.*

96. *Perſæ*, Anagr. *Pereas.*

Ne *Mahumetanô* pereas *in dogmate*, Perſæ,
*Tu tibi, qui gaudes nomine, quisq; cave.*

97. *Miles*, Anagr. *Limes.*

Miles *homo malus eſt, ullus vix ullibi* limes
*Is quem non terret, nam rapit atq; necat.*

98. Aliud in Milites malos.

Miles *homo malus eſt, Satanæ pro tempore* limes,
*Quem pietas unquam vix ſuperare valet.*

99. Aliud Anagr.

Si mel miles *habet, verſô ceu nomine ſpondet*,
*Tunc non immeritò miles amandus erit.*
*At quia, ſi quisquam mel habet, plerumq; per arma*
*Surripit, hinc miles jure peroſus olet.*

## 100. Aliud.

*Miles*, Anagr. *Selim.*

Miles *erat* Selim, *Turcarum robora, Sultan,*
*Quondam confirmans, ac aliena domans.*
*Geſtat in inverſo* Selimum *nomine noſter*
Miles, *& hunc ſequitur mente feroce nimis.*
*Sed quod in infido venit excuſabile* Turcâ,
*Militibus noſtris, ambigo, numq; licet.*

## 101. *Germani*, Anagr. *En, migra; ne migra.*

En, migra! *multi* Germani *jam modò dicunt;*
Ne migra! *contra ſed precor, alme* Deus!

## 102. In Germaniæ decrementum.

*Germania*, Anagr. *Ima Regna.*

*Quæ moderabatur quondam* Germania *ſumma,*
*Illius* ima, *eheu!* regna *labare vides.*

## 103. *Hiſpania*, Anagr. *Hias pani.*

*Cunctorum crudelis* hias, Hiſpania, pani:
*Hunc, ceu ſpinetum, reddere dura negas.*

## 104. In Italos Anagramma.

*Mutatum nihil eſt in* Nomine *ſic* Latiorum,
Hæc Italorum *vox hos apicesq; tenet.*
*Nil de Majorum ritu, nil nomine deſit,*
*Quod* Latii *quondam, nunc* Italiq; *patrant.*
*Stemmate de* tali *qui ſunt,* morum *ſimul illud*
*Quiq; genus retinent, nonne manent & idem?*

## 105. In eosdem.

*Vos* Itali, *noſtris* aliti *niſi ſumptibus (eheu!)*
*Secla tot eſſetis, quis ſupereſſet adhuc?*

### 106. Sileſia aliorum præda.

*Ah!* aliis, *nimium cruciata* Silefia, *dirô*
*Prorſus* es *ex fatô præda parata diu.*

### 107. De ejusdem coacta largitate.

*Quæ tibi non*, aliis, *decepta* Silefia, *ſemper*
*Gentibus* es *nimium proſpera*, *larga nimis.*

### 108. Lapſus Evæ.

Ut comedat *vetitâ* commendat *in arbore pomum*
*Lucifer*, *& paret ſvaſibus* Eva *ſtatim.*
*Ac ut idem pomum quoq; commendaret Adamo,*
*Nil mortem metuens*, Eva *comedit idem.*

### 109. *Sileſia*, Anagr. *I, ſileas.*

I, ſileas *& des, dum preſſa Sileſia ſumtus*
*Conqueritur nimios*, *audit: it*, *atq; ſilet.*

### 110. Ad ſuperbos.

*Quisquis es ex hominum vaſtô grege*, *Pavo ſuperbe*,
Nares *atq;* nates *conſule*, *parvus eris.*
*Quando cibi ſatis eſt ſtomachus farragine faſtus*,
*Concoxitq; ſatis*, *ſtercora tetra facis*,
*Inde tuis teneris faſtidia naribus annon*,
*Incola latrinæ*, *de natibusq; trahis?*
*Cur igitur faſtum non mittis mente nefaſtum*,
*Quem nares propriæ deſpiciuntq; nates?*

### 111. In *ore* tantùm gratos.

*Non* agit *hic*, *ſed* ait *tantùm*, *mihi credite*, *grates*,
*Qui labium motat*, *prætereaq; nihil.*

112. In Gentem Tartaricam, Anagr.

*Nomen & Omen habes, atri cùm diceris* atra.
*Gens Satanæ propriô nomine,* Tartaria.

113. In JCtos.

*Hic noſtris eſt mos Juris-plerumq; peritis,*
*Munere ſi ſtudium conciliare ſtudes:*
*Ut munus præſens illorum dextra recuſet,*
*At dantem munus fortiter illa tenet.*

114. In inhoneſtas Virgines, Anagr.

Virgo *minus ſtuduit vitæ quæ forſan honeſtæ,*
*Digna eſt, quam laceret vibice* Virga gravi.

115. Trophæi & Coronæ extra pugnam & victoriam cupido.

Sceptra *quidem cupiunt homines æterna tenere,*
Spectra *tamen non bis-vincere-terna volunt.*
Mors, Mundus, Satanas, Caro, * teſtes mille, *&* Avernus,
*Hæc qui* ſpectra *fugas, cœlica* ſceptra *feres.*

* i.e. Conſcientia, juxta proverbium.

116. Ad votum Ap.

*Crucis ut & Mortis Chriſti, meditatio Paſchæ,*
*Sublevet aſpectum, læta Trophæa canas.*

117. Votiva Reſponſio P. D.

*Qui mihi feſta voves Paſchæ haud lethalia, læta*
*Sed potiùs vitæ reddite vota cape.*

118. Votum Seni cuidam.

*Quæ capitur noſtris haud ſenſibus alma Polorum*
*Majeſtas canis, adſit, Amice, tuis.*

119. Lothi Ebrietas & inceſtus.

*Vina quidem* Lothum lætum *fecére, ſed inde*
*Irruit illicito, pejus, amore,* lutum.

120. In Judices nonnullos.

*Injuſtus facinus Judex hoc tempore quanquam*
*Sæpe* tuetur *idem, porrò* tuetur *idem.*

121. Ænigma Anagramtmaticum XII.

*Eſt vox quæ legitur* Latiis *hoc ordine,* Sella,
*Inverſò, ſoli competit illa* DEO. Germ. Alles.

122. Caſti ad cœleſtia Caſtra.

Caſta DEI *qui vis defunctus* caſtra *ſubire,*
*Cor petulans* caſtra, caſtraq; caſta *cole.*

123. In precum deriſores.

*Malus,* Anagr. *Salum.*

*Qui* malus *à precibus ſibi temperat, atq; precantes*
*Deſpicit, attonitum naviget ille* Salum.
Wer nicht beten kan/ der gehe zu Schiffe.

124. In Stratiotas.

O *utinam factis, minuens tua membra, nefandis*
*Gaudentem* ſiſtat *te,* ſtratiota, rota.

125. *Emtor,* Anagr. *Metro; Marte; tremo.*

Emtor *amat lucrum, gaudetq; Poëtica Metrô*
*Gens; at ait dives:* Morte *metente* tremo.

126. Dicunt & non faciunt.

*Multa* vetas, Vates, *quæ tu tamen ipſemet* audes;
*Hinc illuc* vades, vaſta *ubi* Veſta *patet.*

Veſta, Dea ignis. Eſa. 30. v. 33.

## 127. Ad Principes.

Utere *ſubjectô*, Princeps, *ſed & ipſus eundem*
(*Juſſit utrumq;* Deus) *ritè* tuére *gregem.*

## 128. Auguſtus Cæſar.

U*t* Tagus *auguſtus fuit* Hi*ſpanis*, Tagus uſu
Auguſtus *populo ſic ſtudet eſſe ſuo.*
Cæſar *& obtinuit pariter gregis ipſe ſalutem*,
Ac *poſtes tutos obtinet arcta* ſera.

## 129. Melius eſt nubere, quàm uri. 1. Cor. 7. ℣. 9.

*Non* uri *debet* vir, *ſed ſibi ducere caſtam*
U*xorem*, *licitô* Conj*ugiôq; frui.*

## 130. *Cœlum*, Anagr. *Mulceo.*

*Iratum propter mea crimina* mulceo cœlum.
*Si prece devotâ, crimina nulla nocent.*

## 131. Cœleſtia petentes DEUS exaudit.

*Propitiô pateſit mihi* Numine *tum* Polus, *audi.*
Devo*tâ quoties cœlica* pulſo *prece.*

## 132. Nec vulpes, nec Lupi in Polo.

*Non capit aſtutos vulpes* Polus, *imò cruentos*
*Nec capit agnorum cæde frequente* Lupos.

## 133. *Obitus*, Anagr. *Subitò.*

*Noſter adeſt* obitus ſubitò, *modò noſſe daretur.*
*Oblitum noſtri quàm citò mundus eat.*

## 134. Agneta Martyr.

*Agnita nequaquam: cunctis* Agneta negata,
*Hinc fuit à reprobis illa* necata *viris.*

### 135. Agnes.

[illegible] *quia ſtupra* negas *pagana, necaſq́; negando*
*[illegible]nos*, Agnes *Virgo, necata cadis.*

### 136. Omnium rerum inconſtantia.

U*t nihil exactum totô reperitur in orbe:*
*Quod fortuna ſuâ non rotet omne rotâ,*
*[illegible]c ſi reſpicias omnis loca ſingula terræ,*
Urbs, Regio, Pagus *labitur atq;* Domus.
N*il adeò creſcit, quod non decreſcit in* Orbe,
*Atq; quidem culpâ concidit omne ſua.*
E*xemplo: ſimulac capit* incrementa, *vigetq́;*
*Urbs, plerunq; parit, partaq́; monſtra fovet.*
Quæ decremento *velut* U*rbis initia certa*
*Suppeditant, penitùs ſic populantur eam.*
I*pſe ſuo tandem prægrandis & integer Orbis*
*Tempore, quæ peperit, per ſua monſtra cadet.*

### 137. Virtutes Principis *reprobi.*

L*uxus, adulterium, cædes, auriq́; rapina,*
*Virtutes* reprobi *Principis eſſe ſolent.*

### 138. Propria Principis *boni.*

J*us, & amor veri, moderatio, * dogma, fidesq́;.*
*Has puto Virtutes Principis eſſe* boni.
* literæ, ſtudia.

### 139. In Vulgi, de maturè ſapientibus liberis, ſententiam.

P*leraq́; plebs ſentit vulgò de prole tenellâ,*
*Quòd, ſi quid ſapiat, non ſupereſſe queat.*
I*ſta ſed evincit ſententia mentis adultos*
*Impotis; hinc, quis ſis*, Lector adulte, *vides.*

140. In

140. In Benedictum, Mon. quendam.
Anagr.

*Qui* debet cunis *Jova quæ debere negavit,*
*Non* benedictus *erit, ſed maledictus homo.*

141. In Feſtorum violatores.

*Eſt meritus* * fuſtem, *vitiat qui crimine* feſtum,
*Iſtum qui fuſtem ſenſerit, ille perit.*

* Zach. 11, v. 7.

142. In Generoſorum quorundam gloriolam.

*Sunt, quibus * agnomen tumidi genuêre* Caballi,
*Hoc ſibi ſpondentes de bonitate* DEI.
*Scilicet, ut ſuperis in ſedibus eſſe putârint,*
Ruricolis *illos poſtpoſuiſſe ſcelus.*
*Id quaſi ſint meriti, qui per delicta ſuorum*
*Numina deſpiciunt, plurima juncta ſuis.*
*Sed ſibi ne metuant: illos nam rurſus, ut illi*
Numina deſpiciunt, Numina deſpiciunt.

* Cavalier.

143. In Parentes liberis parentes.

*Cum negat obſequium proles plerumq;* Parenti,
*Nec, ceu par,* paret, paret *ei ipſe* Parens.
*Inverſus prorſus nobis ſic degitur* Orbis,
*Non* paret *proles,* paret *at ipſe* Parens.

144. Conjugium. Anagr.

Conjugium jugum, *tamen eſt amabilis* icon.
*Vincli cum Chriſto, ſponſus in æva manet.*

## 145. Ænigma XIII.

*Dic, ubi conduntur commiſſa ſepulchra ſepulchris?*
*Detectis, Salomo poſt mihi ſemper eris.*

## 146. Aliud biblicum XIV.

*Injuſto vix dum relegendo revertor ab uno,*
*Nomine perverſo, perperus alter adeſt.*

## 147. Partus & fœtus anagrammaticus.

Ut *plerumq; malis cernis mala nata, malignum*
*Sic* Laban Nabal *verſus uterq; parit.*

## 148. Hiſtoria de *Principe* quodam ſolerti, Imper. R. à Conſiliis, & *Legato* quodam nob. mendace.

*Sollicitaturus quondam quid nobilis, aulam,*
*Miſſus* Legatus, *Cæſaris ille petit.*
*Cæſaris hunc ſummus cum* Conſiliarius *urget,*
*Quot* Patriæ *ſimiles noverit eſſe ſui?*
Triginta, *regerit. Verùm quærentibus iſtud,*
*Fortè viros, aliis dicit, ineſſe* decem.
*Non procul hinc* Princeps *mendacem ſtando ſubaudit;*
*Quidq; boni de ſe ſentiat ille, rogat.*
*Cæſaris es quòvis, reſpondet, in ore* Miniſter
*Præcipuus, talem Te quoq; dico Virum.*
*Excipit hanc vocem mens ad dicteria velox,*
*Et, quid verſa notet, nos videamus, ait.*
Mentirisq; *ſtatim (tuus en, te voce* Miniſter
*Arguit inverſâ, ludicra!) fatus, abit.*

149. *Æquivocatio juridica.*

Jus *pro* jure *ſuo tractant jam* Jure *periti*,
*Quô ſimul intriti nant* Dominusq; *domus.*

150. Eccleſia CHRISTI Navicula Anagr.

Navicula *illa* DEI *certô ſub tegmine* nutat:
*Cincta* lacu vani, *fluctibus acta* natat.

151. Tumulus caret tumultu.

*Mortuus in* Domino *ſi quis*, *turbare* tumultus
*Hunc* tumulô *tutum nullaq; turma poteſt.*

152. In Seculi hujus filios.

*Cui* Polus *eſt iſthæc*, *iſthoc in tempore*, *Vita*,
*Hujus erit tandem pars ſtygis atra* * palus.

Apoc. 21. v. 8.

153. In homines ſecuros.

*Non facilis* pulſu lupus *infernalis*, *ut omni*
*Absq; labore queat pellere quisq; ſuô.*
*Eſt facilis ſoli* pulſu lupus *iſte precanti*,
*Voce* DEI *niſo*, *perſpicuoq; fide.*

154. Mulier.

*Quod* Mulier *cupiat mereatq; Viri-peta dici*,
*Communi prodit nomine quæq; ſuo.*
*Edit enim* Mulier *duo verba docentia*, *quòd* Vir
*Illius ſit* mel *nectareusq; favus.*

155. Præi,

155. Præi, ſequar.

*Amptruat* Anagr. *At ruptam.*

*Præſul* Anagr. *Repulſa.*

* Amptruat *ut* Præſul, *Cœtusq; redamptruat illi;*
At *ſequitur* ruptam *ſæpiùs iſte fidem.*
Hinc *igitur*, Præſul, *vitâ*, *ceu Voce*, repulſa,
*Quæ cernis ſancto poſſe nocere gregi.*

* Amptruo l. amtruo, eſt motus edere in exultationibus Saliorum.

## LIBRI II. FINIS.

*Epi-*

## *Epi- & Anagrammatum*
# LIBER III.

### 1. Ad Patriam Anagramma.

*Sparta*, Anagr. *Partas; raptas; patras.*

SParta *tuebatur ceu juſto nomine* partas;
*Sic tuearis opes, patria terra tuas.*
*Et veluti ſolita eſt quoq;* Sparta *repoſce re* raptas,
*Patria, ſic & opes, terra repoſce tuas.*
*Nil* patras *quod non patravit* Sparta *ſuorum*
*Mota bono.* *Talis ſis quoq;* Sparta *tuis.*

### 2. Ad DEI Filium.

O *Patris æterni* Fili, *non crimina* vili
*Solviſti preciô, ſed nece, noſtra, tuâ.*
*Quæq; Patris teneri fuit inſtar gratia* fili
*Rupta, Tuâ nobis morte reſarta datur.*
O Fili, *fac nunc hæc ne reparatio* fili
*Vilipendatur.* *Crux tua noſtra Salus.*

### 3. In Parcos.

U*nâ metrorum veluti non ſede morantur,*
Do-minus *&* Dominus, *ſic malè juncta manent.*
*Scilicet haud pius eſt* Dominus, *qui* do minus *hosce*
*Scribit Symbolicô, proloquiturq; ſtylô.*

### 4. In eosdem.

*Parcus ut & porcus dant commoda nulla priusquam*
*Morte cadant, at dant commoda multa nece.*

### 5. *Tabea*, Act. 9. ℣. 36. Anagr. *Beata*.

*Verba* DEI *retinens audita* Tabea, beata,
*Quod nomen præ ſe fert, ita dicta fuit.*
*Morte ſed ablata, vitâ hâc rurſusq;* beata,
*Orbe* beata *manet, fertq;* beata *polum.*

### 6. *Tabitha*, Anagr. *Habitat*; eadem.

*Mox iterum in terris* habitat, *quæ mortua terris*
*Exiit, ad Petri ſurge,* Tabitha, *redit.*

### 7. In Aſtroſophiæ invidos *inſectatores*, & nimis avidos *ſectatores*.

*Exemplis multis, multis* deriſa *fuiſſe*
*Non impunè quidem* ſidera *ſæpe, patet.*
*Si tamen, ut portum, portenta micantis* adires
*Sideris incautus, te malus error agit:*
*Nam conjecturas Aſtrorum fallere ſæpe,*
*Sæpe ſuo damnô ſpes ſuperata docet.*

### 8. Proverbium Germ.

**Vom gedeckten Tiſche ſoll man nicht weggehen.**

Menſâ *qui ſtratâ præſens ad fercla rogatur*
**Amens eſt, abiens quando comeſſe negat.**

In-

Inſcribtio Fontis Caballini invitatoria.

9. *Poëta*, Anagr. *Epota; pateo; potæ.*

*Quisquis es*, epota *divi carcheſia fontis*
*Caſtalidum divô nempe repleta merô.*
*Nam cuivis* pateo, *qui nititur eſſe* Poëta,
*Ac* epota *juvant pocula quemq́; mea.*
*Hasq́; meas tantæ novi dulcedinis, ut, quò*
*Plus fuerint* potæ, *plus ſitiantur, aquas.*

10. In Heroës noſtri temporis.

Heroës, *noſtrô quos tempore cernis haberi,*
Herodes *factis æquat ubiq́; ſuis.*
*Scilicet hic veluti multùm non nomine differt,*
*Sic illi nomen per ſua facta merent.*

11. Ad Amicum.

*Nec cupio, nec credo, libros hos eſſe futuros*
*In precio, preli vivat ut ullus ope.*
*Si tamen acciderit, Liber unus ut exeat horum,*
*Exeat ac alter: Non mutilemus opus.*

12. Cordis decor DEO gratisſimus.

*Vis Salvatori* CHRISTO, *Chriſtjane, placere,*
*Corpore, cum deſit, ſit modò* corde decor.

13. De Seculo noſtro corrupto.

*Noſtra magis quoniam* corrumpitur *æra quotannis,*
*Quid mirum, ſi* cor rumpitur *inde piis.*

14. Piſcium vilisſimi breves.

*Non piſcem cupio, capiti cuî proxima cauda,*
*Finis & affinis ſit propè principio.*

## 15. In Nobiles ignobiles.

*Nobilis*, Anagr. *Nil obis; oblinis.*

Nil, *quod præſtat*, obis, *tamen & vis nobilis eſſe*;
*Heu! plus quàm decoras*, oblinis *acta Patrum.*

## 16. Aliud, in eosdem.

*In leve qui crebrò certamen*, Nobilis, ob nil
Is *cum cognatô*, cædis, *& enſe cadis.*
*Sangvinis effuſi majora merebere laudum*
*Præmia, ſi Turcis hoſtibus hoſtis eris.*

## 17. Ad Juridicos, Retrogradum.

*Sollicitudinibus vacuum nec tormine pectus*
*Fertile ſit fervens, hoc precor Actidicis*

## 18. Ad Milites, Cancrinum etiam.

*Militibus bona non infernum comprecor, omen*
*Muneris & felix haud precor exitium.*

## 19. Votum Amicis quibusdam iter facturis, Cancrin.

*Interitum precor haud felix hic exitus omen*
*Afferat ac vobis mens mala non bona ſit.*

## 20. Nero Cæſar monſtroſus.

*Mercedem cædem reddens* Nero *Matris amori*,
*Pro mercede, manûs cæde caditq; ſuæ.*

## 21. Servitium.

*Servitium non eſt vitium, ſed inutile demùm*
*Ex meritô vitium ſervitium ſit & eſt.*

22. Optica,

22. *Optica*, Anagr. *Captio.*

*Fallor? An eſt fallax, ars* Optica, captio *mentis,*
*Quâ ſua ſæpe Satan facta ſceleſta tegit.*

23. Ad Momum.

*Non mihi Caſtalidum fontis carcheſia divi*
*Sunt* epota, *quibus facta corona merô.*
*Hinc ſi non aptè concinno metra* Poëta,
*Non quod mireris, turgide* Lector, *habes.*

24. Ex Matth. 5. ℣. 23. ſeq.

*Ne cum* lite lites, *nam non cum* lite litanti
*Propitius* Deus *eſt, hinc ſine* lite lites.

25. Ad Mediatorem CHRISTUM.

*Nate* DEI *noſtras* mundas *qui ſangvine* mendas,
*Atq;* *libro* mandas *nomina noſtra tuo.*
*Noſtra, fac, ut nunquam* radantur *criminis ergò,*
*Sed ſemper* radient *nomina ſcribta* Polo.

26. Ad eundem. Anagr.

*Qui tua non ſervant, quæ* mandas *dogmata,* JESU,
*Criminis hos* damnas, *ſuppliciiq; reos.*
*Ne nos inde ſinas tua* dogmata *ſpernere ſancta,*
*Ne ſtygis in noſtro* ſtigmata *corde legas.*

27. Ad eundem.

Pes *noſter* Spes *eſt, quô ſtamus firmiter omnes,*
*Quot noſtrûm noſtrum credimus eſſe Deum.*
*Quôq; domos cœli petimus deîn tempore mortis,*
Spes pes *eſt noſter, ſi, bone Chriſte, regis.*

## 28. DEI Tutela.

*Non muris ſemper cingit* Deus *arva piorum,*
*Sed tegit exiguâ* ſæpeq; ſepe *ſuos.*

## 29. Meta ſine metu.

*Pone* metum, metamq; *tibi præfigito Chriſtum.*
*Nam fugat hæc omnem cælica* meta metum.

## 30. Regula Juris hodierni.

Jura, Jura *jubent, quanquam cum crimine; Jura*
*Tempora non aliter vincere noſtra docent.*

## 31. Ad Aſotos, Collum quaſi Colum.

*Ut* colô, collô *quòd homo modò debeat uti,*
*Anguſtum voluit guttur ineſſe* Deus.

## 32. Siles-ia.

*Qui* ſilet, *affirmat. Te,* Sleſia *muta,* ſilentem,
*Vox, Nomen, Factum, cuncta probare, probant.*
*Non modò muta* ſiles, *concedis & omnia: verùm*
*Et tibi dicenti vox* aſinina *ſonat.*

## 33. In eandem.

*Non injuſta quidem quidam, pia* Sleſia, *patrant,*
*Qui tribuunt aſini nomina ſpurca tibi.*
*Nam geris ob* ſoccum, ſuccumvè *facillima* ſaccum:
*Beſtia nata velut* molibus *atq;* molæ.

## 34. *Sileſii* cur & unde ὀνόφαγοι dicti.

*Oppidulum* Reichſtein *eſt finitimum Regioni*
*Bohemiæ, Brigæ quod tenuêre Duces.*

Claret

*Claret id ætate, eſt diveſq; Metallifodinis;*
*Aurea Chriſtophorum cuſa moneta gerit.*
*Hîc Mons eſt,* Aſinus *dictus ſic* aureus, *inter*
*Plures, quem binô ſurgere colle vides.*
Ex auri maſsâ *Nomen ſortitus, in illô,*
*Quæ ſpecies* Aſini *tota nitore fuit.*
*Hæc eadem rivos auri detexit opimos,*
*Quos veſtigabat ſedula turba frequens.*
*Proximitas ubertatem, gens livida, cernens,*
Hos *Aſinophagos auſa vocare fuit.*

~~Græciſmus.~~

## 35. Sileſia ad illuſores ſuos.

*O utinam vobis, noſtras qui vellitis aures,*
*Sint* Aſini, *quales hîc mea terra fovet.*
*Autumo, non ſaccos, Argentô, Auroq; refertos,*
Detrectaretis *nomine ferre ſub hôc.*

## 36. In Epicuri de grege porcos.

Per collum, culumq; *dapes dimittere* callent,
Callum *obduxiſſet mundus utriq; quaſi.*

## 37. Inceſtus Lothi.

*Natarum* Lothus *ſeductus crimine, ſeſe*
*Pollutô, pejus polluit ipſe* luto.

## 38. Furum præmia.

*Fur furcam meritò ſcandit, ſua furta ſolutum.*
Funis *eum* Vitæ finis *& æquus habet.*

## 39. In famulos & famulas.

*Non* famulos* mulos, famulas *nec dicere* mulas
*Eccho mendacem, tempora noſtra probant.*

*Pſal. 32. v. 9.

## 40. Fructus Reſurrectionis JESU CHRISTI.

*Letum*, Anagr. *Telum*.

*Dic, ubi, quæſo, tuum*, Letum, *penetrabile* telum?
*Te reticente ſcio. Vivus id* ille *tenet*.

## 41. Nullum hominis poſt mortem veſtigium.

*Morte notas vitæ nullas homo linquit in* Orbe,
*Sicut* avis *nullas quis reperire* vias.

## 42. *Mulctæ & Mulctræ* diſcrimen parvum & magnum.

*A* mulctrâ *differre quidem non* mulcta *videtur*
*Litterulis multùm, res tamen ipſa crepat.*
*Nam multô* mulctram *non ditat* mulcta *butyrô*,
*Sed conſumit, opes* multaq; mulcta *rapit*.

## 43. Ne jactet ſe potens in potentia ſua. Jer. 9. ℣. 23.

Milo *ſuis nimium confidens viribus* olim,
*Cùm manibus quercum findere vellet, obit.*
*Sic noſtrô crebrò ſuccumbit tempore* moli,
*Hæret & in* limo Milo *repente ferox*.

## 44. Ad Familiarem quendam Georgium, Theol.

*Voce* ſuo *quicunq;* gregi, *vitâq; ſeipſum*
*Divinum præbet, præmia digna feret.*
*Præmia digna fereſis quoq;* Tu *ſic, digne* Georgi,
*Quando* Tuo *proſunt vitaq;, voxq;* gregi.

45. For-

### 45. Formula, petendi Lauream poëticam.

*Quisquis es ambitioſus & ambitioſa Poëtæ*
*Serta cupis, votis talibus illa pete:*
O *mihi porta* pate, *quam trans-ſolet ire* Poëta,
*Cûi* Daphnes *cuſtos laurea ſerta dedit.*

### 46. Poſt nubila Phœbus.

*Ne ſuccumbe* mali, *quamvis ſit plumbea,* moli;
*Nam dabit omnipotens, poſt* mala, mella *Deus.*

### 47. Collum & Guttur.

*Quô membris reliquis caput ipſum jungitur,* Iſthmum
*Atq; viam, qualem concavus* Iſthmus *habet.*
*Abs ratione quidem non arbitror eſſe* Latinis
*Gutturis & colli nomine dicta viris.*
*Numnon, ut* collum *quaſi* colum *Vina penetrent*
Guttatimq; *bibant* guttura, *dicta volunt?*

### 48. In *Guttam*, Propugnaculum Hungar. 1663.

*Cæſareo quondam ſubjectum, penè ſubegit,*
Danubium *Imperio, robore, Turca ſuô.*
*Finibus* Hungariæ *tandem vix* Gutta *remanſit.*
*Sed quid ſublatô flumine* gutta *valet?*
*Totius minimè quem lympha coërcuit hoſtem.*
*Mirum, ſi fluvii* gutta *relicta fuget.*

### 49. Electio Conjugis.

Non {*Vetulam* / *Vetulum*} *cupio* {*Vitulam* / *Vitulum*} *nec & opto* {*maritam*; / *maritum*;}

*Nam ſapit* {*iſta* / *iſte*} *minus, ceu ſapit* {*illa* / *ille*} *nimis.*

## 50. In Propugnaculum Hungar. *Neutra*.

*Hungarici quondam cùm Regis id eſſet ut omnem*
*Hungariam ſalvis finibus ille regat.*
*Nunc cùm fermè ſit pars altera parta vicinis,*
*Altera diſcrimen non ſine req; timet.*
*Debeat & Regni pars altera Marte repoſci,*
*Altera ſervari;* Neutra *relicta manet.*

## 51. Ad Regem Hungar. 1664.

*Qui jam ceſſiſti Chriſtjani nominis hoſti,*
*Donec in Hungaria* Neutra *retenta fuit.*
*Ne præſaga mali, vereor, mox* Neutra *futuri,*
*Ut ſit & Hungariæ* neutra *utriusq; tua.*

## 52. De Hungariæ Propugnaculis.

Propugnacula *non, ſunt* oppugnacula *ſaltem,*
*Quæ fines claudunt, Pannonii Imperii.*
*Et quod adhuc pejus tandem* * expugnacula *fiunt,*
*Quotquot in hoc Regno mænia Cæſar habet.*

* Turca enim ſingulatim pleraq; oppugnavit propugnacula, atq; ex iisdem nunc noſtros expugnat fines.

## 53. In Concionatorem quendam jactabundum, Anagr.

Myſta *quidem* natus *quòd ſis, ad tædia jactas;*
*Sed* nutas, *verbis* miſtaq; *falſa ſcreas.*

## 54. Repudium Fraternitatis falſæ.

*Cum ſim* Myſta *quidem, meus haud* Symmyſta *vocari*
*Unquam tu debes: Sis tuus absq; meo.*

Sub-

*Subdole* Myſta *tuis inſunt mendacia verbis;*
*Ac reliquum taceo, quod, bone* Myſta, *potes.*

## 55. In Comorrham finitimum Hungariæ Caſtellum.

*Quantus ab antiquis Regni nunc finibus ampli*
*Regreſſus factus, quantaq; perdidimus!*
Belgradum *Turcæ Proavorum tempore fines*
*Clauſerat, atq; ſuos texit ab hoſte viros.*
*Ast ut idem dudum captum, Turcis ita* bellos
*Præbuit* Hungariam *mox in utramq;* gradus.
*Hinc factum, multô nobis ut tempore fines*
*Quærendi timidis ſintq; ſubinde novi:*
*Ante* Comorrhenas *valvas quos, Vallaq; Regni*
*Citeriore modò parte videre datur.*
*Quid mirum, nobis ſi nunc & fronte* comæ horrent,
*Tam propè cum nobis peſſimus hoſtis adest?*

## 56. Ad Auguſtulum Cæſar.

*Altera ſi pedibus ſtet binis littera verſa,*
*Competet* Auguſti *nomen, honosq; tibi.*

De iſto vid. Jacobi de Strada Theſ. antiquit. p.215. Münſt. Coſm. lib. 2. c. 57. p.349. M. Joh. Rau Coſmogr. part. 2. c. 9. p. 305.

## 57. Dona Poli, & Dona Soli.

*Sunt, homo, dona* Poli, *ſunt dona* Soliq;, *ſed ex his,*
*Non quævis, jubeo, ſelige tuta magis.*
*Dona* Soli *quia ſunt mortalia, talia ſperne,*
*Immortalia nam ſuppeditare nequit.*

Dona Poli non ſunt mortalia, talia quærens,
Immortalis eris, talis at eſſe velis.

## 58. In Themidos tumîdos Miniſtros.

Jura ſuum tractant Themidos pleriq; Miniſtri:
Jus vult Sus ſpiſſum, taleq; noſtra Themis.
Scilicet intritis domibus, dominiſq;, miniſtri
Liberiùs Dominæ luxurientur ope.

## 59. In Peregrinantes & Vagantes.

Invia virtuti non eſt via, teſte Poëta,
Invia ne fiat, ſit via veſtra bona.
Si virtutis erit, virtutis dulcia tandem
Præmia lætantes invenietis ibi.

## 60. De Medicis.

Sæpe ſuô Phyſicus dum nos medicamine curat,
Fit Phtiſicus noſter ſaccus & ære caret.

## 61. *Panicus* terror. Pſal. 5. ℣. 10. *Punica* Fides.

Terror multoties inimicos Panicus arcet.
Quid mirum? Cordi Punicus error ineſt.

## 62. Ad *Conſiliarios* Regum.

Heus, audis, Regis qui Conſiliarius audis,
Non Regis, tua ſit maxima cura gregis.
Regis enim causâ ceu non eſt ſubdita turba,
Sed potiùs propter Rex ſolet eſſe gregem;
Sic tu, cùm Regi, Regi haud ſolummodò juras,
Subjecto juras, præcipueq; gregi.
Hinc prodeſſe gregi debes ac auris ad inſtar,
Quâ Rex orantes audiat, eſſe gregi.

*Nominis ecce tui tibi vox injungit idipſum,
Sicut idem quævis dogmata ſana probant.

* *Conſiliarius*, per Anagr. *Juras incolis*, item, *auris incolis*. Quia pes hic incolis — ◡ — Amphimacer ſive Creticus, metro huic inſeri non potuit, ſubſtituimus Vocabula, *turba* & *grex*.

63. Nulli *gratis*, ſemper vero *gratis* auxiliatur Turca.

*Non* gratìs *ullis*, *illis eſt Turca miniſter*,
*Qui* gratìs gratis *dant bona multa volis*.

64. Matth. 24. ℣. 48. ſequ.

Servus *qui* ſævus *conſervos percutit*, *illum*
Herus *utut* ſerus, ſerius *igne premet*.

65. Votum ad Affinem ægrè valentem.

*Quæ nec largiri*, *ſervare nec audeo*, *vobis*,
*Nempe valetudo*, *ſitq; ſuperna Salus!*

66. Aliud.

*Sit comes Æternus Vitæ per tempora veſtræ*
*Longa*, *nec abſcedat*, *vos bònitate beet!*

67. Convaleſcenti eidem.

*Aſpera qui fieri vobis permiſit*, *is ipſus*
*Aſpiret*, *felix aſpera ut hora voret*.

68. *Modus* alit *Domus*, Anagr.

*Nulla* domus *perdurat ubi* modus *exulat*, *atq;*
*Illa* domus dumos *gignit*, *& ipſa ruit*.

### 69. In Fures furendum.

*Peccabis minimè, modò ſit collata facultas,*
*In* fures *pœnâ vindice quandô* fures.
*Imprimis noſtro, quô plures tempore fiunt*
*Quottidie* fures, *indomitiq;* furunt.

### 70. Sine requie nec duriſſima durant.

*Quando potes, requie, qui gnavus es, utere; namq;*
*Alternâ requie quod* caret, aret *idem.*

### 71. In fures.

*In bona clam quicunq;* fures *aliena rapaci*
*Nocte manu,* fur es, *furcaq; munus erit.*

### 72. Miles, Moles.

Miles *ut eſt* Moles *terræ, ſic trux* ~~*quoq;*~~ *trucis* &q;
*Fit* Martis, mortis *deniq; mancipium.*

### 73. In eosdem.

*Jure cluet* Miles Moles; *nam nullus eorum*
*Non mala molitur, multa moleſta gerit.*

### 74. Non *vini* vitium ſed hominis *vani.*

*Nulla quidem per ſe, potius ſed crimine noſtrô*
*Deteſtanda Deo crimina* Bacchus *habet.*
*Eſt vitium* vani, *gravibus qui fundere* vina
*Aſſuevit Cyathis, ingluviemq; replet.*
*Si* Sciathos Cyathis *innaret & Inſula, Baccho,*
*Hanc ſorbere ſuis eſt mora nulla labris.*

### 75. Ad Deum Spiritum Sanctum.

*Sancte, labor tuus eſt, tuus inquam, Spiritus, ille,*
*Si quis ineſt nobis integritatis amor.*

*Lumen enim, quo tu credentes inſtruis omnes,*
*Nos quoq; ſidereum lumen adire juvat.*
*Abſq; tuo verô divino* lumine *nutat,*
*Hæret & intacto* limine *noſter amor.*

## 76. Sitis ſancta.

*Si quisquam* ſitiat, ſatiat *Deus ipſe volentem*
*Divinis rivis exſatiando ſitim.*

## 77. Societas periculoſa.

*Hunc, qui cum Satanâ* ſociat *ſe,* ſauciat *ille,*
*Non ſecus ac ſerpens frigida fota ſinu.*
*Imprimis animam præ corpore ſauciat; iſtum*
*Hinc ſocium, nolens ſaucius eſſe, fuge.*

## 78. De Terra errante, Anagr.

Errat, *qui dicit quòd* terra *volubilis* errat.
*Hâc aliter de re littera ſacra docet.*
*Nam Phyſicus terram nullus circumrotat error:*
*Firma ſtat; aſt illam myſticus error agit.*
*Myſticus aſt is ineſt homini, qui glebula terræ,*
*Atq; minor mundus: dupliciterq; patet.*
*Error enim Vitam Corpus, Mentemq; per omnem*
*Continuans hominis nocte, dieq; rotat.*

## 79. *Curæ* hominum *Eruca.*

*Sicut olus viridans* eruca *vorare videtur;*
*Sic hominum* curæ *deniq; corda vorant.*

## 80. Homo *vermis* & eſca vermium.

*Quid, mihi dic,* erimus *poſt funera noſtra ſepulti?*
Vermis *es, atq; cibus vermibus ipſus eris.*

81. Ad

## 81. Ad Amicum jocus.

*Si, qui carne* vires, Vir es, vires *quoq; monſtra,*
Ut *tua te* Virtus *indicet eſſe virum.*

## 82. Reſponſio.

*Primùm noſſe ſuas, alias deìn carpere* vires,
*Eſt virtus;* Vir es, *ſi ſine labe* vires.

NB. *Vir* frequentiùs corripitur: hìc luſus gratiâ productum, non ad imitandum.

## 83. Ecchûs Oraculum, Regibus & Principibus notandum.

*Si natam* Princeps *reſponſis conſulat* Eccho,
*Maxima cura cui debeat eſſe* gregis?
Regis, *ait. Quærit, deceatne incuria* Regem?
Curia *ſit curæ ſcilicet, inquit, ei.*
*Annon ſufficiat, ſi* Conſiliarius adſit
Jus adſit, *dicit, nil ſine* Rege *crepet.*
*An ſine* Rege *ſuo nîl Conſiliarius* auſit?
Sit, *modò nil auſit, quod ſine lege ſiet.*
*Annon vim* Legi *quoq; Conſiliarius* addat?
Dat, *verùm donis nonniſi ſæpe gravis.*
Ut *capiat, regerit, quoq; dona Miniſter* oportet.
Portet, *ait, ſalvô ſed grege, Rege ſuô.*
*Porrò rogat, ſibi quæ ſit noxia* regulâ? Gulâ,
*Reſpondet, reprobis regula ſueta viris.*
*Quôq; modô leviter* Regali *decidat ille*
Scabellô? Bellô, *quod ſine lege gerit.*
*Iſta notet ſi* Rex, *Eccho quæ candida* ſvadet,
Vadet *& evadet perpete ſorte gravis.*

## 84. In Forma ſua ſuperbientes.

Cur adeò pulchrum *formâ* phantaſma *ſuperbis*,
*Quod cutis & candens, quodq́ venuſta tibi?*
*Cum tamen hicce decor cultelli fortè ſupremam*
*Non ſuperat partem, viſcera vixq́ tegit.*
*Credito, ſtulte, mihi, ſi te conſpexeris intus,*
*Forſan eris ipſi nauſea magna tibi.*

## 85. Medicorum optimus Cœleſtis.

*Arte ſuâ Medicus cùm nos corroborat ægros,*
*Nec corpus, nec cor roborat ille ſatis.*
*Debilitas etenim ſemper redit, atq́ per ipſa,*
*Reddimur exanimes, pharmaca ſæpè magis.*
*Hinc ab iis æger Medicis appello ſupremum*
*Ad Medicum, Chriſtum, quem Pater ipſe dedit.*
*Hic quem ſanavit, non amplius æger habetur,*
*Sic corpus, Cor ſic roborat arte ſua.*

## 86. Votum veſpertinum.

A lectô, *faxis, noſtro, Servator, ut abſit*
Alecto, *tutus nos recreetq́ ſopor.*

## 87. Conſtantium Corona eſt.

Per duras *qui* perduras *hoc ſortis in Orbe,*
*Corde vices ſtabili, pòſt Diadema feres.*

## 88. Votum natalitium.

*Cujus per ſex & triginta ſvaviter annos*
*Servavit Vitam* gratia *ſumma meam:*
*Quiq́ neceſſe meæ vitæ quæ, quæq́ dediſti,*
*Eſto benigne Deus*, gratia *ſumma tibi*

Ing.

*Inq; futura mihi, rogo, gratia ſumma ſuperſit*
*Tempora, quæ munus dirigat ipſa meum!*

89. *Pericles* apud Thucid. lib. 2. p. 81. in fin.

*Apud quos maxima proponuntur Virtutis præmia, in eorum Repub. ſunt Viri præſtantisſimi.*

*Præmia virtutis* Reſpublica publica *præbens,*
Præclaris *ſemper* claret *& illa viris.*

90. Livius lib. 4. in princip.

*Cuicunq; rei præmium eſt in Civitate, ea maximis auctibus creſcit.*

*Res, cûi digna fluunt ſua præmia quâlibet* Urbe,
*Creſcit & augetur viribus illa ſuis.*

91. Seneca Epiſt. 87.

*Pecunia ſic in quosdam homines, quomodo denarius in cloacam cadit.*

*Non ut des, ſed cûi quid des, eſt proſpiciendum;*
*Nam* collata *malis, viva* cloaca *capit.*

92. Suffragium ſeipſum eligendi.

*Non ubivis, ſed ubi Majeſtas prævalet, at non*
*In ſacris αὐτο-χειροτονία valet.*

93. Apum examina mala omina.

*Inſolitis formare locis examina cernens*
*Vulgus, dicit, apes,* omina *ferre mala.*

94. Eadem & bona dedere omina.

*Prodigia aſt privata, boni ſunt ominis: hujus*
*Exemplum præbent, Pindarus atq; Plato.*

In

*In labiis dicuntur apes his mellificaſſe,*
*Svaviloquentia queîs omine dicta fuit.*

V. Valer. M. l. 1. c. 6. exempl. 12. it. ibid. in fin. Plin. l. 11. c. 17. Cic. l. 1. de divin.

95. Maximil. Imper. Symbolum.

*Semper cum cautione:* Allzeit mit Hutt.
*Haud contemnendus, metuendus ſemper at hoſtis:*
*Cautè qui cavit, non facilè ille cadit.*

96. Prodigium & Omen.

*More quod inſolitô contingit* Prodigium *eſto;*
*Naturæ curſu quod ſit id* omen *erit.*

97. Lex militaris veterum.

*Quam cupimus noſtram non eſt vaſtanda,* Coloni
*Sit licet hoſtilis terra,* colenda *magis.*

98. Rerum optima.

*Si* quæres, *nobis* quæ *res ſiet optima? Noſtrum*
*In cœlis ſolum noveris eſſe* Deum.

99. DEO flectente flectimus & flectimur.

*Qui prece vis hominum durorum flectere* corda,
Cor da, *quæſo, tuum, flectet is illa,* Deo.

100. Si eſt loculus, ſit vigil oculus.

*Vin', heus, quid* loculus *locuples deſideret? Auſim,*
*Providus huîc* oculus, *dicere, quòd ſit opus.*
*Verò, non adeo, vel ad id, quò turgeat ille*
*Quottidiè numis, augeat hosq; magis;*

*Quàm*

*Quàm ne fur illum, vel prodigus œconomiæ*
*Hoſtis, conficiat, ſit vigil ipſe ſibi.*

### 101. De vocabulo Loculus, ad Lectorem.

*Miraris,* loculum loculos *quòd dicere contra*
*Auſint communem carmina noſtra ſtylum?*
*Cauſa ſubeſt, quia pro loculo, (phy!) ſordido avaro,*
*Innumeris numis, eſſe crumena ſolet.*

### 102. ADAMUS FRIDERICUS SPRINGERUS, Senior.

Anagr. nubtiale.

Prodire ſines Muſas: Fac rurſum; dirige.

n. in m.

Ad Apollinem.

*Aonio* prodire ſines *de vertice* Muſas:
Fac rurſum *ludant*, dirige *tuq; Choros.*

### 103. *Stratiota*, Anagr. *At ſit rota.*

*Non laudum merces unquam tua debita merces,*
At *meriti merces* ſit, Stratiota, rota.

## LIBRI III. FINIS.

*Epi-*

# LIBER IV.

## *Epi- & Anagrammatum.*

### 1. Moles maxima.

C*Ujus, dic, aſinæ fuit olim maxima moles?*
*Dico ferentis eum, qui mala noſtra tulit.*

### 2. Vexatio dat intellectum. Eſa. 28. v. 19.

*Chriſticolæ nunquam nocuit* tentatio *genti:*
*Non nocuit, quanquàm maxima ſæpe fuit.*
*Crevit enim potiùs, velut hæc,* attentio *mentis,*
*Hoc magis & cordi verba fuêre* Dei.

### 3. Unica litera cauſa diſcriminis.

*Primus homo* Domini *cùm transgrederetur habenas,*
*Exceſſit* Virtus, Virus *eiq; ſubit.*
*Litera diſcrimen prægrande dat unica,* Virtus
*In* Virus *tranſit grande, malumq; vorax.*
*Et quæ conqueſtu rerum ſit maxima,* vires
Virus *id inq;* viris *inq;* virabus *habet.*
*Ferre ſuis homines quas* viribus *omnibus omnes,*
*Sintve* viri, *nequeunt, ſint, nequeuntvè,* viræ.

### 4. Piorum de ſtatu ſuo hôc in Mundo querela.

*Cimmerias præter nobis quid in* Orbe *tenebras,*
*Noctèq; terrificâ ſidera rara micant.*

Inſuper & magnum ſentitur frigus ibidem:
Nos nox, nix vexant: Lex latet, alget amor.

### 5. In Fædifragos.

Fædus is eſt, factum fractum quem fædus eôdem
Quô vix id pepigit tempore fraude juvat.
Fædus is at magis eſt fædus qui* mente, priusquàm
Factum, vult fractum, corde dolosq; fovet.

*Reſervatio mentalis, Chriſtiano ingenio indigna.

### 6. In parcos, ad Mortem.

Cur parcis parcis, aliàs Mors ſæva, repentè
Quin rapis ad ripas hoc genus omne tuas?
Nam genus hoc hominum vix ulli parcit obeſſe;
Hinc * parcas Parcas illud habere ſinas.

*Quæ non longum illis trahant filum.

### 7. Aliud ad Parcas.

Nî parcis, Parcæ, minus indulgebitis, iſtud
Privabit veſtrô vos genus officiô.
Hoc reliquis tandem mortalibus omnibus ipſam
Cum victu Vitam tollere fraude ſtudet.

### 8. Ad Fautorem.

Tu Strenam mihi des, & ego tibi dictito Strenam.
Ore dabo Tibi, ſed Tu dabis ære mihi.
Hâc ratione tuos Titulos augebis, & inde
Quòd dederis ſtrenam ſtrenuus ultor eris.

### 9. Ad Cæſarem LEOPOLDUM I.

LEOPOLDUS Cæſar, Anagr. Pullos charos è Dea.

Eſt Dea nubta Tibi, Cæſar, quam Thronus Iberus
Progenuit Magnô progenerante Patre.

Dante

*Dante* DEO *ſiet hæc adeò fæcunda, capeſſis*
*Ut* Pullos charos *è pariente* Dea.

## 10. Non omnia facienda.

*Non* quævis, quæ vis, *tibi ſunt, homo, commoda factu;*
*Nam* quævis, quæ vis, *ſunt bona, ſuntve mala.*
*Sed* quævis, quæ vis *operari, ſunto probata*
*A* quôvis, quo vis *tempore mente probo.*

## 11. Ad *Beroſum* Hiſtoricum.

*Sunt quibus* Hiſtoricus, Beroſe, *vidére* peroſus;
*Aſt odii quæ ſit proxima cauſa latet.*
*Ex aliis tamen hoc auditur: crimen acerbum,*
*Suſpicio falſæ fecerit* Hiſtoriæ.

## 12. Ad *Pollionem* Poſtillographum Wr.

Pollio, *divinô per multum* pollice polles,
*Et* polis, *ut cedant corda* polita Polis.
*Hinc tibi mutatâ vocali nominis unâ,*
Polleo, *conveniens poſtea* Lemma *dabit.*

## 13. In Juſtitiam noſtri temporis.

*Si* vis jus *eſſet, mihi credite, nulla fuiſſent*
*Temporibus noſtris tempora juſta magis.*
*Scilicet his quivis* vi *nixus,* vi *quoq; vincit.*
*O tempus ſacrum, Juſtitiæq; ferax!*

ion

## 14. Honores mutant mor – es.

*Nemo ſuis Sapiens mutatur moribus, ille*
*Magnus utut creſcit, creſcit & ejus honor.*
*Acceptô ſolus modò ſtultus honore tumeſcit,*
*Et mores habitô mutat honore ſuos.*

### 15. In Impoſtores manifeſtos.

*Auſus homo* fucum *fidenti vendere turbæ,*
*Is meruit vivus crimen ut igne luat.*
*Conſonat apprimè* fucus, focus *ignibus ardens:*
*Perq;* focum fucum *ſolvere* Mitzka ſolet.*
* Eſt nomen Tortoris, ſ. Carnificis.

### 16. De Pietate & ejus ſtudio, Anagr.

*Is* ſapiet, pietas *cordi cuî ſemper habetur,*
*Isq; futura* Poli, *quæ bona ſperet, habet.*
*Et munimento ſimul hæc hôc orbe futura*
*Eſt, ut Germanis * vocula verſa ſonat.*
*Hinc quicunq; frui vultis munimine tali,*
*Vox* pietas *ſicuti vos,* ſapite, *ipſa monet.*
* Pietas German. per Anagr. Paſtei.

### 17. Aliud.

*Sta, pie,* Anagr. *Pietas.*

Sta, pie, *nam* pietas *nos ſancta tuebitur omnes*
*Adverſus ſtygias, ne modò cæde, plagas.*

### 18. Strena votiva, Aff.

*Quem* vetus *in* veteri vetuit *Deus ipſe venire,*
*Nunc annô veniat* fœtus, *id opto, novo,*

### 19. In Scortorum fæcunditatem.

Fœtus *utut ſcorti Venter* fœtuq; *tumeſcit.*
*Attamen &* fætus fætet *& ipſe Deo.*

### 20. Ad Joſephum adulterium fugientem.

*Quam tibi* Lex vetuit, *meritò tibi* fætuit *uxor,*
*Hinc quòd non* fætet *laus tua, vita* vetat.

21. Omnis

## 21. Omnis Impuritas eſt fugienda.

*Quam tibi Lege* vetat *Deus, hæc tibi* fœteat *omni*
*Tempore, ſit quamvis fœmina pulchra ſatis.*
Fætet *enim quivis, contra qui fecerit, atq;*
*Ipſe Deus cælos hunc ſuperare* vetat.

## 22. Studendo & peregrinando coluntur & excoluntur Artes.

Serta *ferunt* Artes. *Hinc quisquis es, atria Muſæ*
*Viſes, artiferas ſæpe* terasq; rates.
*Atq; peregrinans afferto fideliter* artes,
*Quæ deſunt Patriæ, ſic quoq;* ſerta *feres.*

## 23. Johannis 7. ℣. 48. Num quis ex Principibus credit?

*Chriſto nec* Cæſar, Pilatus, *neq;* Caiphas
*Credere vult, populum ſic faciatq; jubent.*
*Flectitur ut vox hæc animus ſic flectitur horum:*
Credo *modò* cerdo, codreq; credo *ſonat.*
*Felices qui non, errorum ſacra caterva*
*Ut prohibet, parent; credere* corde *parant.*
*Hinc* decor *&* cedro *veſter, qui* corde *decenti*
*Creditis, æqualis ſurget in arce Poli.*

## 24. De Statu noſtræ corruptionis.

Turpavit *primas poſtquam Draco crimine mentes;*
Turbavit *miſeras æthere nos & eas.*

## 25. Aliud.

Turbavit *pacem Satanas hominumq; Deiq;,*
*Ac nos.* turpavit *criminis ipſe lue.*

26. Nemo obvelet peccata, à CHRISTO velanda & levanda.

*Omnia noſtra ſuâ Chriſtus nece crimina* velat,
Et levat *irati corq́; , manumq́;* Dei.
*Hinc tua non* veles, *homo, quò peccata Redemptor*
Velet, *& haud, eadem quò* levet *ipſe* leves.

27. P. D. ad Frat. Germanum Thom. Abr. D.

*Præteriit tibi quæ fuit ærumnoſa, Jehova*
*Det, ſit ſuccedens fauſtior æra tibi!*

28. *Carolus*, Anagr. *Ac luſor.*

*Svecicus*, ac luſor, Carolus *deſiderat æq;*
*Promovet & lucrum navus ubiq; ſuum.*
*Quærit ut alterius* luſor *ſua lucra monetâ;*
*Finibus alterius ſic* Carolusq́; *ſua.*

29. In avaros.

Aridus, aſper, anilis, agreſtis, amarus, avarus,
*Angitur ac amnes, ah! Acherontis adit.*

30. Fortunæ faber quilibet ipſe ſuæ.

*Quisq; prout bona, vel mala,* patrat *in Orbe, profectò*
*Exitiumvè ſibi, deliciumve* parat.

31. Ventorum flabra, DEI flagra.

Ad nuncium, plurimas naufragiô merſas naves.

*Horrida* flabra *maris quæ cernis in æquore vires.*
*Exercere ſuas, ſunt quaſi* flagra *maris.*
*Sunt quoq; flagra, levi qui nave vehuntur, eorum,*
*Queîs Deus emendat pectora dura brevi.*

32. Os

### 32. Os homini ſæpe negotium faceſſit.

*Deſtruit os hominis proprium perſæpe quietem.*
*Suntq́; flabella viri ſæpe flagella viri.*

### 33. Sangvis CHRISTI.

Sangvis *eos Chriſti, quos inferus enecat* angvis,
*Suſcitat, ac hominum ſoſpitat omne genus.*

### 34. Aliter.

*Antiquus ſua quos per toxica corripit* angvis
Sangvis *eos Jeſu corrigit atq; beat.*

### 35. Semen Abrahæ.

In Gentem *ſemen Deus Abræ ſurgere verè*
Ingentem *fecit, quod pietatis erat.*
*Aſt ingente quidem Deus hâc in Gente nec ullum*
*Invenit verè deniq; penè pium.*

### 36. Carnis libidines fugiendæ.

*Non eſt conſultum, facias ut* quodlibet *amplô*
Quod libet *in mundô*, quòd libet *illud ita.*
*Carni namq; libet noſtræ plerumq; libido,*
*Quam Deus atq; probus* quilibet *odit homo.*
Quod libet *ergo, tuæ quod in iſthôc orbe libebit*
*Carni, pejus & id tu fuge, dico, cane.*

### 37. In quandam nubilem, cupi-Magiſtram.

*Nacta tui ſimilem, tamen expetis, Anna,* Magiſtrum.
*Non tamen es tali digna* Magiſtra *Virô.*
*Sorte ſuâ debet contentus quilibet eſſe;*
*Hæc tibi ſed ſordet Regula trita nimis.*

Atq; Maritum *dum porrò cupis eſſe* Magiſtrum,
Reſtio *cui* * Sory *dat ſit is, Anna, precor.*

*Sory, * σῶρυς, atramentum metallicum: it. Flos melanteriæ, grau und ſchwartze Dinte. Adagium German. Ich wüntſche dir einen Magiſter, der die Dinte beym Seiler holt/ i. e. Wagen-Schmier: Der iſt ein Kutſcher oder Fuhrmann.

38. Superbis DEUS reſiſtit. 1. Pet. 5. ℣. 5.

Procerum Procerum *collum*, faſtumq; nefaſtum.
*Numen divinum non tolerare poteſt.*

39. Suſpirium, ad nuncium de Amici unius *Morte*, alterius chariſſimi *Morbô*,

*Alterius finem Vitæ qui ponis Amici,*
*Alterius morbô penè minaris idem.*
*Ne mihi, quæſo, Deus, cunctos auferto ſodales,*
*Quorum fraternâ mens mea niſa fide!*
*Sit, maneatq; mihi per Te mens digna ſuperſtes,*
*Cui bene committam pectoris ima mei.*
*Sive mei modò ne tunc obliviſcere, quando*
*Hos omnes fidos tollere morte voles.*

40. In Funus Comitis cujusdam.

Dic *ubi nunc* Comes *eſt?* comes *eſt modò vermibus, atq;*
*Iſte ſuum* comitem *nunc* comes *ecce* comeſt.

41. Volaterræ.

*Urbs* Hetruſcorum volaterræ *nomine quondam*
*Clara fuit,* terræ *re fuit hæcq;* vola.

Nam

*Nam ſi terrarum totum reputaveris orbem,*
*Urbs, quamvis* terræ *maxima, parva* vola *eſt.*
*Hinc non obſcurè patet, ecquis civis & hujus*
*Hîc ſit, nempe cinis, quem capit una vola.*

## 42. Chriſtiani in CHRISTO patiuntur & potiuntur.

*Quô nos in Mundo* ferimur, *plerumq;* ferimur
*Quotquot in hoc ſummi Principis orbe ſumus.*
*Sed cum nobiſcum Deus oppugnaverit hoſtes,*
*Quem* ferimus *noſtrô corde,* ferimus *eos*

## 43. Non ſunt condignæ Paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam. Rom. 8. v. 18.

*Magna quidem* patimur, *magnis quoq; verò* potimur,
*Iſtô qui Chriſti cœtus in orbe ſumus.*
*Cujus enim nobis inſtat poſſeſſio Regni,*
*Hoc non digna, licet paſſio noſtra gravis.*

## 44. In Martham quandam Cantatricem.

Martha Thamar *paulùm mutatâ voce fit; iſta*
*Re fit nonnunquam candida* Martha Thamar.

## 45. In Tarpejam Patriæ proditricem.

*Filia* Tarpeji *quondam* Tarpeja *Sabinis*
*Arcem Romanam proditione dedit.*
*Hâc ratione quidem ſeſe, me judice, geſſit*
Turpejam *potiùs, turpe ſecuta ſcelus.*

## 46. Bavarus.

*Gente, licet poſſem, non vellem* Bavarus *eſſe,*
Eccho *namq; nimis garrula turpat eum.*

### 47. Regula mendacibus utilis.

*Qui te* mentiri *non vis cum ſcommate dici,*
Metiri *modulô diſcito dicta brevi.*
*Nam qui* metitur *laxo nimis omnia filô,*
*Pleraq;* mentitur, *ceu docuére Patres.*

### 48. Alia.

Mentiri *qui vis, adferto res peregrinas,*
*Non loca* metiri *disſita, crede, vacat.*

### 49. Delicium, Deliquium.

*Deliciis mundi nimiis te immergere noli*
*In* vitâ, vita *delicioſa loca.*
*Nam qui* deliciis *fruitur, velut helluo dives,*
*Deniq;* deliquiis *angitur ille ſtygis.*

### 50. In Moroſum quendam.

*Moroſinorum Venetis proſapia clara,*
*Claraq; nota diu per ſua facta fuit.*
*Si velit ex iſto quisquam te ſtemmate natum,*
*Concedo, quamvis id tua facta negent.*
*Scilicet è medio tollat ſi ſyncopa binas,*
*Cum morum modulô mens patet atq; genus.*

### 51. Ad Mundum immundum, Anagr.

*Multorum capitum qui* belua *dicere, multô*
*Conſpurcas animam crimine, Munde, tuam.*
Ablue, *ſi tibi vis conſultum, crimina, ne te,*
*Si renuas, orci* belua *tetra voret.*

52. Ad Gulones. Luc. 23. v. 30.

*Qui* collis *veſtris conſumitis omnia*, collis
*Ingruat ut* collis, *vociferabimini.*
*Extremus velox, quô crimina veſtra patebunt,*
*Tempora cum tandem finiet iſta, dies.*

53. CHRISTI ſodalitium, miſerorum ſolatium.

*Solamen ſocium miſeris habuiſſe malorum,*
*Qui verus Deus eſt, eſt quoq; natus homo.*

54. Ave, Victor, CHRISTE, Salvator.

*Audivit quondam, rediens poſt prælia victor,*
*Hoſtibus & victis, ex* ave *Cæſar* ave!
*Iſtud* ave *eſt meritus plus Victor ut audiat ille,*
*Qui nos à ſtygiâ, morte, redemit* ave.
* Macrob. l. 2. Saturn. c. 4. pag. 240.

55. Aliud
In CHRISTI contemtores, ex eodem.

*Juſſit emi veterum, ſibi qui dixêre ſalutem,*
*Non vili preciô, tempore Cæſar,* aves.
*Non vili preciô nos, nempe cruore, redemit*
*Salvator propriô, nec tamen audit* ave.
*Audit* aveto *quidem, ſed* aveto *luditur illô,*
*Non ſecus, ac olim * miles iniquus ibi.*
* Matth. 27. v. 29.

56. Ad Φιλοκόσμȣς. 1. Joh. 2. ℣. 17.

Inſtabili *nemo nimium confidito mundo,*
*Nam non* in ſtabili ſtat ſtatione *diu.*
*Si quis & in* ſtabili *ſeſe* ſtatione *locari*
*Hîc putat, à mundo fallitur* inſtabili.

57. In

## 57. In Helluonem illum divitem.

*In ſtygiam quòd te, quid mirum, byſſus abyſſum*
*Traxit, qui vivens ipſus* abyſſus *eras?*
*Nullus enim luxûs in vitæ tempore fundus,*
*Nec modus in tumidis veſtibus ullus erat.*
*Scilicet ex æquo conſumſit* abyſſus abyſſum;
*Non ſecus ac ſorbet flumina magna mare.*

## 58. In eundem.

*Infima prægnantem dum tollit* abyſſus abyſſum,
*Jure fit, haud aliàs nam modus ullus erat.*

## 59. Juſtitium.

*Præbuit Antiquis ad tempus Sirius olim,*
*Perpetuum in Chriſto* Juſtitium *ſtat & eſt.*

## 60. Beſſi ſupplicium.

*Arboribus Macedo deflexis, corpore* Beſſi
*Reddidit ex unô corpora bina, ferus.*
Perpeſſus Beſſus *meritò cruciamina tanta,*
*Cui non horrori Regia* byſſus *erat.*
*Sangvine ſed Domini fuſô tingebat eandem,*
*Quem ſervare ſuis addecuisſet eum.*
*O utinam noſtri* Beſlos *quoq; temporis omnes*
*Ex uno binos robora bina trahant.*

## 61. In Filios hujus Seculi.

*Naturâ ſemper tendit grave quodq; deorſùm,*
*Et ſurſum nunquam ritè tetendit onus.*
*Inde patet quorſum tendant, ſua pectora Secli*
*Qui curis onerant, ebrietate gravant.*

## 62. Nec barba, nec ſenectus dementiam excludit.

*Barba quidem* mentum, *non ornat, credite,* mentem,
Nec *ſacra ſemper* anus *cantica cana canit.*
*Non cunctis captus, veluti ſit grandior ætas,*
Nec *ſapit annoſus ſemper in orbe* Senex.

## 63. In currentium ordinem.

*Dum mihi, quod* curo, *nihil expedit, audeo,* curro:
*Atq; nihil curo, currere quando juvat.*
*An* Deus, *anq; Dei qui verba ſacerrima curant,*
*Currentem culpent, ſeu mea facta probent.*
*Sic ajunt, faciunt hodiè pleriq;* Miniſtri,
*Currenteſq;* minis * *corda, manuſq; terunt.*

* *Mina,* Plauto *Mna,* pondo vel libra argenti ſ. auri.

## 64. Dona egregia in eosdem.

*Donis* egregiis *inſtructus, prævalet, atq;*
*Præfertur, dignus qui doceatq;* gregem.
Dona * *ſed ut noris quæ nunc intelligo, ſplendent*
*Extra non intra: quære, videbis ea.*

* *Donaria* aurea vel argentea.

## 65. Hyems propter ſubſequens Ver ferenda.

*Frigora* fer *patiens hyemis; premit & quod in orbe;*
Ver *etenim blandum grande levabit onus.*

## 66. In potatores.

*Nil niſi qui* potare *poteſt,* potabitur *orci*
*In puteo* potu *ſulphuris atq; picis.*

67. Status ſeparationis & reparationis.

*Quos ſibi per culpam vetus angvis* adaptat, adoptat
*Sangvine, per Chriſtum, mox mediante, Deus.*

68. Aliud.

Sangvis *eos Chriſti* reparat, *quos* ſeparat angvis,
*Subdit & imperio, quos tenet* Hydra, *ſuo.*

69. Mortis, Satanæq; contemtus nunc facilis.

*Nil Mortem moror, haud Satanæ quoq; curo furorem,*
*Non Mortis terrent me Satanæq́; minæ.*
*Cur metuam Mortem, cum nullus aculeus illi*
*Sit, quô, ceu quondam, me macerare queat.*
*Nil metuo. Quoniam Chriſtus confregit utrumq;*
*Ac hoſtem meritô fudit utrumq; ſuô.*

70. Clepſydra.

Clepſydra *ſeu dicas: produc* clepſydra, *perinde eſt.*
*Non prolongabis, diminuesvè moram.*

71. De turbis Turbæ Chriſtianæ.

*Turbaris, Chriſti quandoq; per aſpera Turba,*
*Pluribus & turbis ſæpe referta gemis?*
*Ne perturberis; nam non diffidere tantûm*
*Eſt Chriſti* Turbæ turpè, *ſed eſtq́; malo.*
*Inde fer. Eſt tempus, quô te* tuba, turbida turba,
*Angelica ex* turbis *eruet, eja! tuis.*

72. De Afflictionum fine & uſu.

*Tacta gravi crebrò Chriſti cruciamine Turba,*
*Ex Zelo contra crimina noſtra Dei.*

Ne

Ne turbator *utut nos eſt* Turbator *adortus*,
*Fracta nec eſto* mali *mens* malè mole *tua*.
*Scito, quòd hic* Zeli *divini* tactus *acerbus*
*Ad* cæli Tractum *te quaſi* tractus *agat*.

## 73. In Potentes hujus ſeculi.

Mortales *alios, ut ſit plerumq;*, putantes
*Vili*, mortales *quos tamen æq; vides*.
*Quorum ſunt aulæ vitioſis queîsq;* patentes,
*Ceu vitiis ipſi ſæpe ſcatere ſolent*.
Heroës *ut ſint* potantes *nocte, dieq;*,
*Duxq; ſit in luxu dux gregis ipſe ſui*.
*Unde* Deum *verbis, eheu! factisq;* petentes
*Turpibus. (ut taceam, plebs quod adacta ferat.)*
*Plectentur Proceres à Rege potente* potentes,
*Atq; potenter idem, quod potuére, luent*.

## 74. In contemtores humilium.

*Quem* pudet *abjectæ plebis, quaſi* puteat *illi*,
*Seq; lutô factum de meliore* putat.
Ne putet *is, ſibi quòd* pateat *plus janua cæli*;
*Nam* pudet *ejus idem*, putet *& ipſe* Deo.
*Hinc ejus* pudeat *maledicti quemq; pudoris*.
*Orcus ne* pateat, puteat *isq;* Deo.

## 75. Sapiens.

Vinum *non opus eſt exponere nobile* venum,
*Emtorum ſat ei ſpontè ſuaptè venit.*
*Sic, ſi quis ſapiat, non eſt præcone ſeipſô*
*Huic opus; omiſſô nam patet hocce bonis.*

76. Mors.

## 76. Mors.

Mors mos *eſt Satanâ nobis authore relictus.*
*Ne quoq; ſit Mos Mors altera, Chriſte, juvâ!*

## 77. Uxor parens & pariens.

*Quæ* parit *&* paret, pariter parat U*xor amorem.*
*Conſervatq; ſibi Conjugis atq; Dei.*

## 78. Moratus hoſpes.

Moratus *non eſt hoſpes, qui ſponte* moratus
*Tres ultra fuerit continuosq; dies.*
Moratus *nec is eſt, qui non, orante*, moratus,
*Hoſpite, plus fuerit, ſi patet hujus amor.*

## 79. In Gynæco-maſtigem.

*Quòd non ex hominum numero ſit fœmina, dicis?*
*Dico nefanda doces, miraq; mera refers.*
*Nam queo ſic hominem te vix agnoſcere.* Forſan
*A porco genitus, natus es exq; ſue.*

## 80. Periculum in morâ.

*Dicitur in ſegni ſemper diſcrimen ineſſe,*
*Ardua cùm fuerint expedienda,* morâ.
*Credo, ſed hoc addo:* moriâ crimen *in omni*
Diſcrimenq; *ſimul ſemper ineſſe grave.*

## 81. Luſus.

*Quæ fuit ex aliis mea maxima* Sylva *voluptas*
*Antè, vale. Eſt etenim* Sylvia Sylva *mihi.*
Sylva *cadat quamvis quævis, modò* ſalva *maneto*
Sylvia, *ſum* ſalvus; *Sylvia* Sylva *manet.*

82. Vir-

## 82. Virgæ conjugales.

*Blanda puella, Seni ne nubito; ſicq́; puellam,*
*Svadeo, ne blandam ducito, ſicce Senex.*
Virga *Seni* Virgo, virgæq́; *reciproca* virga,
*Nam plerumq́; Senex asſolet esſe ſuæ.*
*Hoc aliena quidem, non experientia verò*
*Me propria edocuit; nam Senis æra deeſt.*

## 83. In Oweno-maſtigem.

Oweni *quem non delectat vena venuſta,*
O fæni, *ceu bos, pabula fædus amet.*

## 84. Præpoſterum.

*Poſtremum ſi quis prius occipit, occidit, atq́;*
*Procedunt cancri pleraq́; more malè.*

## 85. In Epicuri de grege porcos,

Lautitiâ lætâ, lautâq́; *fruiſcitur omni,*
*Impius in terris tempore* lætitiâ,
*Ex improviſo verò quoq́; deniq́;, porci*
*More ſaginati, cogitur ille mori.*

## 86. Ad debitores de creditoribus.

*Cùm dicit* Salve *tibi,* ſolve *ſubindicat unà*
*Creditor, eſt quoties obvius ille tibi.*

## 87. In prodigos.

*Adverſus ſui ruinam & pauperiem remedium.*

*Qui conſervari vis, conſervare tuosq́;,*
*Ut conſervatos vos cupit ipſe Deus.*
E re, *crede, tuâ, ſi parces ſæpius* æri,
*Augmentoq́; tuis hæc via rebus* erit.

*Arvo ne careas uteris tu rarius* aurô,
 Ædes *ne perdas, parcius intus* edes.
*Auri grana leges, nimium ne nectaris* hauri,
 Quod Bachus *nobis, ſuppeditatq́ᵹ* Ceres.
*Porrò tuam tecum nimiis ne ſumtibus unquam*
 Tu veſti Vaſthi, vaſtat *& iſtud agros.*
*Quin* Natura*; ſies ſemper contentus, ut ipſa:*
 *Continet in ſeſe commoda multa* modus.

## 88. Ad Lectorem.

*Sciſne Poëtarum quare modò dicar alumnus?*
 *Larva Magiſterii, laurea, dico, deest.*

## 89. Digito monſtrari non ſemper pulchrum.

*Non pulchrum eſt digito monſtrari & dicier, hic eſt,*
 *Semper, ut affirmat penè Poëta nimis.*
*Nec ſemper laudis vox eſt, cum dicitur, hic eſt,*
 *Nam monſtratur atrox indice ſæpe Latro.*
*Et nequam, nobis ſæpiſſimè dicitur, hic eſt.*
 *Cuî placet hic, placeat, ſed mihi ſordet honos.*

## 90. Juſtus moriens non perit.

*Non moritur moriens juſtus, ſed vivit, in orbe*
 *Vivere dùm ceſſat, nec pereundo perit.*

## 91. In illud Ovidii: Quid juvat aſpectus, &c.

*Quid juvat aſpectus, ſi non conceditur uſus,*
 More *levis veteri plebis &* ore *rogas?*
*Et juvat aſpectus, licet haud conceſſa facultas*
 *Utendi fuerit; non juvat uſus ita.*
*Scilicet egregiam formâ ſpectare puellam,*
 *Nec ſimul utendam poſcere velle juvat.*

92. Tho-

## 92. Thomas Morus, moriens.

*Dum Regis* mores Morus *caſtigat iniqui*,
*Nec* morem *Regi, ceu cupit ille, gerit.*
*Cogitur abſq; morâ,* mori *parere Tyranni,*
*Carnificisq; manu percutiente* mori.

## 93. Ad, & in vagantes.

*Suſpecti nobis ſunt non ſine jure* vagantes,
*Doctrinâ* vacui *quod ſtudiisq; ſient.*
*Cernimus hos etenim plerosq; labore* vacantes,
*Non mirum donis ſi nimis inde* vacat.

## 94. Epitaphium Metelli Rom.

*Romanus tumulô præſente quieſco* Metellus
Me tellus *genuit, me quoq; fovit ea.*
*Inde ſuo functum* me tellus *jure receptum*
*Nunc tenet in gelido, mater amica, ſinu.*

## 95. Dicunt & non faciunt.

*Sermo,* Anagr. *Mores.*

*Commendat* mores *cujusdam* ſermo *decorus*
*Sæpè bonos aliis, quos nihili ipſe facit,*
*Hinc nihil ipſe facit, quoniamq; (realia)* mores
*Deficiunt ipſi* ſermo *nihilq; movet.*

## 96. Lutum adverſatur luto.

*Terra* luti *Mater, Mater quoq; terra* lutoſi
*Eſt hominis, frater ſic hominisq;* lutum.
*Hic tamen, averſans hoc, adverſatur eidem;*
*Eſt ratio:* Fratrum gratia rara calet.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0103-3

## 97. Matthæi 11. ℣. 28. C. 25. ℣. 41. Eccho.

*Qui Mediatoris non audit in orbe* venite,
*Audiat extremô Judices* ite *die.*

## 98. Aliud.

*Chriſtus in hoc ad ſe mundo vult quosq;* venire;
*Salvari qui vis, ocyus ergo veni.*
*Sin minus expectat te lamentabilis* Eccho,
Ire *jubens piceas ad* Phlegetontis *aquas.*

## 99. De Fiſco.

*Dic, quid ſit* Fiſcus? *fallax, reſpondeo,* Viſcus;
N*am* Turdi tardi *decipiuntur eô.*

*Turdus* Germanis ambiguum eſt: Indigitantur hôc nomine interdum homines & honore & divitiis præſtantes, Groß-Vogel.

## 100. In Scortatores.

*Immenſum* fornax *illi Satanæ dabit æſtum,*
*Cuî dat in hoc* fornix *orbe refrigerium.*

## 101. Sponda & Sponſa, nubtiale.

*Quæritur, utra bonis præſtent ex hiſce duobus,*
Spond*ane nuda, cedo:* Sponſ*ane nuda, cedo.*
*Quæris eum, tacitæ vitam qui vovit eremo,*
*Mox reſpondebit: ſit modò* Sponda *mihi.*
*Aſt aliter ſentit, ſtimulos qui ſentit acutos*
*Carnis, & impurus quem nimis urit amor.*
*Hujus enim recreat, quamvis perſæpe decenter*
*Non ſit* ſponſa *ſibi, pectora Sponſa magis.*
*Neutra quidem, verum jubeor ſi dicere, mentem*
*Afficit illarum, credite ſola meam.*

Sponda

*Sponda quidem feſſo conducit, ut oſſa quieſcant,*
*Quando terendo gravem ſunt quaſi trita viam.*
*Sed magis in* Spondâ *reficit, puto,* Sponſa *quietum.*
*In* Spondâ ſtratâ, ſtrataq́; Sponſa *placet.*

## 102. Tempus Pœnitentiæ.

*Horrida dum quatiunt terrentq́; tonitrua terram,*
*Ira, furorq́; Dei deſuper igne micat.*
Tempus habes *homo, quô ſcelerum memor eſſe neceſſe eſt,*
*Et tua quô doleas crimina,* tempus habes.

## 103. Tempeſtas quî abigenda.

*Horrida quando boant, reboantq́; tonitrua, crebrò*
*Æther & igne micat,* grandèq́; grando *ſonat.*
*Eſto memor ſcelerum, peccator, ad Aſtraq́; palmas,*
*Pectore contritô, pandito, ſalvus eris.*

## 104. In Polonorum ſacrilegorum nonnullorum Societatem, quorum nonnulli A. C. 1681. & ſequ. Olaviæ capti ac ſuppliciis affecti.

Anagr.

*Iſti cum nequeant, vel Sole nitente,* Poloni,
*Viſere templa, queant viſere nocte ſtudent.*
*Clauditur aſt illis ſi janua, præſtò feneſtra*
*Hos nunc* in *nitidô cerne nitere* polo.

A corvis nim. deartuati, oſſaq; nudata, rotis impoſita, ſub dio nitent.

## LIBRI IV. FINIS.

# LIBER V.

## 1. Veſtis nubtialis. Matth. 22.

VIs te cæleſti clementer ab hoſpite ferri
Te veſti purâ, ſoſpite veſte, fide.

## 2. De Anglia Anagr.

Ni *levis*, Alga *foret*, *ferret plus* Anglia *frugis*
*Non fortaſſe malæ*, *ſed nimis* Alga *nocet*.

## 3. In malas Socrus Anagr.

*Quando malâ premitur*, *ductâ quis Conjuge*, Socru,
*Angelus is quamvis*, *hæc erit* orcus *ei*
*Et* * corus *ad ſummum* curis *erit usq; repletus*;
*Conjugium*, *Socru quod caret inde* † *lege*

* *Corus* Menſura Hebræorum fuit. † Pro elige.

## 4. De Luco Paganorum, Anagr.

Lucus *erat fanum quondam gentile: quid ultra?*
*Judice me*, *Satanæ* (*putida!*) culus *erat*
*Cuî pagana cohors*, *vultum quæ quærere Summi*
*Noluit*, *os*, *oculos applicuitq; ſuos*.
*Jure quidem.* *Nam quem* Lucum *præponere* Luci
*Non pudet*, *is* culum *Dæmonis inſpiciat*.

## 5. In quendam Cocum.

Cocus *es, at ſi quis* *Cacum *te dixerit eſſe,*
*Quod verum, minimè dixerit ille* κακόν.

* Vid. Virgil. Æn. 8. 133. Item Ovid. 1. Faſt. 551. Metamorph. 9. v. 198.

## 6. Deus prius urget pœnitentiam, quàm infert pœnam.

N*uminis ante tui non es,* Deus *optime* Vindex,
Index *quàm noſtri criminis eſſe ſoles.*

## 7. In bellum Sabaudicum cum Genuenſibus, A. C. 1672.

Nudæ *ſunt* nugæ, *quòd id aula Sabaudica poſcit,*
Genua *nam nunquam flectere* *genva *cupit.*

* *Genva*, pro genua, ad exempl. Virgil. 5. An. v. 432. Vid Grammat.

## 8. De Turcarum auſibus & progreſſibus, Anagr.

Turca *brevi faciet, nobis ut* curta *ſupellex*
*Fiat, & hanc rapiat, non prohibente* Deô.
*Nam licet accedat propiùs jam Marte quotannis*
*Nobis, quis* curat? *Plurima turba nihil.*
*Quis tandem finis? quis & audet dicere:* Ructa
*Quæq; voraviſti, reddito?* Nemo. *Silent.*

## 9. In quendam defunctum.

*Non ego te* damno, damno *nec ineſſe perenni*
*Judico defunctum,* Relligioq; *vetat.*

*Si te verò tuâ quisquam de gente ſequatur,*
*Hunc, puto, contentum vix fore ſorte ſuâ.*

## 10. Ad Patrem familias.

*Et* Serpho, *nedum* Servo *ſua bilis inhæret,*
*Quisquis es, hinc ſervum molliùs ergò tene.*

## 11. In Matthiam quendam.

Mattya Matthiæ *noſtro ſi plurima præſtò,*
*Curat is in menſa vilia fercla parum.*
*Mœchus at in lecto, ſibi quæ ſint obvia, fercla*
*Vilia ſint quamvis, conſulit illa boni.*

## 12. In Eſaiam Prophetam.

*Qui, Propheta, tuo dixiſti tempore* furum
*Eſſe Ducis ſocios; exitiale* forum.
*Quid faceres noſtrûm, noſtro ſi tempore vitâ*
*Nobiſcum pariter perfruerére, foro?*
*Diſſectus ſerra,* Faſtis *ſi credere fas eſt,*
*Hoſtibus à diris diceris eſſe tuis.*
*Quid noſtri facerent? Si dicere tutius auſim,*
*Præmia Prophetæ non meliora darent.*

## 13. Latro, Lutra.

Lutra vorat *piſces, homines* forat *haſta* Latronis;
*Re ſunt atq; ſonô* Lutra, Latroq; *pares.*

## 14. In Nugatorem quendam.

Ad rem *cuncta quidem tibi diſſeruiſſe videris,*
*Non niſi cùm nugas, ſtulte loquare meras.*
Ad-rem *quâ verò ratione, docébere, quandò*
*Ex aliquâ cancros parte ſequare legens.*

## 15. In vagantes ſic dictos Studioſos.

*Qui, Studioſorum ſpecioſo nomine tecti,*
*Sæpe ſtipem noſtras quæritis ante fores.*
Mendicos *veluti tetros pleroſq́ue videmus:*
Mendaces *ita vos credimus eſſe meros.*

## 16. Conſilium famulare.

*Si* Famâ famulâ famuli, famulæq́ue *fruentur,*
*Ægra nec hos debet* Fama *necare* fame.
*Non* Famam, fumum *vendendo, paſcere,* fimô
*Hanc neque deſidiæ commaculare decet.*

## 17. De duritie multorum hominum.

*Non hominum pauci vapulant, ut duris Aſellus,*
*Fruſtrà durantes in feritate ſuâ.*

## 18. Optimus Scopus eſt CHRISTUS.

*Cûi* ſcopus *eſt Chriſtus,* ſcopulis *offenditur ille*
*Nullis; at multis, qui caret hocce ſcopô.*
*Cuî* ſcopus *eſt Chriſtus,* ſcopulis *licet undique ſeptus,*
*Non tamen offenſus concidet ille* ſcopô.

## 19. Pleni dolorum.

*Dantur in Orbe duo, pleni ſunt ambo* dolorum.
*Nec tamen hi duo ſunt conditione pares.*
Improbus *atque* probus, *pleni ſunt ambo dolorum;*
*Hunc* dolor *exanimat: parturit ille* dolos.
*Hinc his nulla fides eſt mutua, nullaq́ue pax eſt;*
*Alteriusq́ue cavet gnavus uterque vicem.*

## 20. Amor Patriæ.

Primus Amor *Patriæ reliquas res anteit omnes,*
*Quas extra ſummum ſentis in orbe Deum.*
*Hunc præter Dominum, cordi res antè ſit omnes*
*Res Patriæ. Patriæ ſit tibi* primus Amor.

## 21. Ad Chriſtianos. Anagr.

*Chriſtianus,* Anagr. *An hîc ſtruis; Huc, in aſtris.*

Chriſtjanus *qui vis cæleſtis & incola dici,*
An *duraturas* hîc ſtruis *ergo domos?*
Huc *accede domum tibi qui ſtructurus,* in aſtris
*Quære locum, fundus crede perennis erit.*

## 22. Ad Lectorem.

Si, quæ cauſa rogas, cur nos Epi/Ana-grammate rudi
Hæc auſi calamô ſcribere, Lector, habe:
Prima DEI laus eſt, nobis qui ſacra talenta
Credidit, huîc partum reddimus hiſce lucrum.
Deîn, alii, non nos tempus, quod munia linquunt,
Deſidioſorum more locaſſe, ſciant.
Tertia, *ut & juvenum* Labor *hic accendat amorem*
In Studium; Finis quiq; laboris erit.

## 23. Ad Adoleſcentes ſtudioſos.

*Oweni ſublime mihi* cacumen acumen
*Contulit, ac genuit* vena *&* avena *meam.*
*Haud iſtis* Epi/Ana-*grammatibus,* Te, *dico, pigebit,*
*Impendiſſe breves, apta juventa, moras.*

24. In & ad Momum. Anagr.

*Nec* ſummo Momus *carpendo parcit Olympo;*
*Hic illæſa minus carmina noſtra ſinet.*

25. De CHRISTO & Satana.

*A Chriſto* Satanas ſanatas *ſangvine fuſo,*
*Sauciet ut mentes, nititur arte vafer.*

26. In quendam.

*Sanum ſemper ego tribui tibi pectus ineſſe,*
*Ex actis aliud cerno ſed, ecce, tuis.*
Proſtheſin *inde tibi mittens &* Syncopen *hoſtes,*
*Hâc te prægnanti conditione gravo.*
*Si poteris, tibi quæ tribui, tua jura tueri*
*Adverſus iſtos, tunc tua tuta manent.*
*Sin minus;* inſanum *pectus mala ſcommata dicit*
Proſtheſis, *ac eadem* Syncopa *conduplicat.*

27. Votum.

*Illuſtriſſimo, Celſiſſimoq́; Principi ac Domino,*

DN. GEORGIO WILHELMO,

Duci in Sil. Ligio-Bregenſ. ac Wolavienſ.

Viennam Auſtriæ A. C. 1675. Ætatis ſuæ 15. proficiſcenti, ſacrum.

*O* Patriæ Decus, *ac* Patriæ *qui nunc bona* cudes,
*Angelicos habeas, nuncq́;, reduxq́;* duces!

28. In putativum quendam Doctum.

*Doctor es? ac iſthôc titulô plerumq; notaris:*
*Nec te privabo, Lege ſed hacce dabo:*

*Literæ*

*Litera *Vicinos ſi* D. *ſibi junxerit ambos,*
*Illorum fuerit poſteriorq; prior.*

* Litera D. in Alphabeto vicinos habet, ante ſe C. poſt E. jam transpone & compone, fiet D-octor.

### 29. In dilapidatorem & decoctorem rerum ſuarum.

*Divitias qui* dilapidas, *ſeu* decoquis *illas,*
*Non* lapicida *bonus, non bonus esq;* coquus,
*Artibus ex iſtis mihi neutra placet, quia quæq;*
*Res amplas minuit, creſcere neutra facit.*

### 30. A pio quodam Theologo Albo vagantium inſcripta.

Ne ſis Planeta, ne in ignem fatuam degeneres,
*Admonitio, hôc comprehenſa Diſtichô:*
*Deniq; ne fatuum cum tempore totus in ignem*
*Degeneres, nolis esſe* Planeta, *precor.*

### 31. Aliter.

*In fatuum ne vaneſcas tu turpiter ignem,*
*Octavus ne ſis, dico,* Planeta, *cave.*

### 32. Ad Hiobum Truſium.

*Aſtra Tibi* vires, virus *dent hoſtibus atrum,*
*Qui Jobo, Truſi, Te voluere parem.*

### 33. Strena ad Aff.

Annus eat *vobis fauſtô ſatis omine porrò*
*Unus & alter, ut hic hactenus* annus erat.

34. Ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem, Viennâ Auſtriæ, reducem.

*Dux rurſus noſter Patrias pervenit ad oras*
*Incolumis, gens hinc ſubdita dicat:* Ave!

35. In Thilonem.

Thilo, *Tibi nomen tribuunt Anagrammata* Lothi;
I, *ſis* Loth *cunctis Tu pietate tuâ.*

36. Mors & Timor, Anagr.

*Eſt plerumq;* Timor Morti *comes, eſtq; Sodalis:*
*Hinc habet hoc falſum non Anagramma ſonum.*

37. In vates falſos, qui CLAUDIÆ FELICITATI, LEOPOLDI I. R. Imp. Conjugi, A. C. 1675. partum Maſculum vaticinati, ſed falſo: Quos Mendacii arguit Anagramma *duplex*, ſpontè ex nomine fluens;

*Claudia Felicitas*, Anagr. *Vatidici fallaces*, it. *I, ac dic, Vates falli.*

Vatidici *nobis* fallaces, *dulcia* Nati
*Pignora polliciti; ſed* Deus *illa negat.*
*Subſtituens* Nato Natam; *jam protinùs hinc* I,
*Ac* Vates falli, *fallere dicq; nimis.*

38. Suſpirium pro GEORGIO WILHELMO, D. L. B. W.

*Alme, tuo atq;* ſuo *ſuperesſe* Georgius *almus*
*Da* Wilielm *valeat, quæſo, Jehova,* gregi.

## 39. In præmaturum ejuſdem obitum.

*Georgius Wilielmus*, Anagr. *Gregi ſuo vivus mille; Luge Vigilem uſu oris; Imus Vulgi, rivos lege.*

*Unus erat quamvis* vivus *Dux noſter, at ille*
* Mille ſuo *viſus, mente ſagace*, gregi.
*Hunc* luge Vigilem *gregis* uſu *quisquis es* oris
*Nunc lacrymis, queſtum junge paremq; piis.*
*Nunc* imus vulgi *dicat* rivos *lege flendo,*
*In planctus ſanctum verte ferumq; melos.*

* 2. Samuel. 18. v. 3.

## 40. Ad MATTHÆUM MUSCALIUM, Paſt. in Schreibendorff.

Anagramma:

*Hic ſumas ſalutem* Tu; l. *Hâc Tu ſumis Salutem.*

*Quilibet Auditor, tibi qui porrexerit aures,*
*Audiet ille ſuis auribus iſta loqui:*
Hîc ſumas, *homo,* Tu *certam tibi quisq;* Salutem,
*Quam tibi per me Fons ipſe ſalutis ait.*
*Ac Auditorum ſi ſicce perexeris aures*
*Os mulcere tuum, præmia juſta petes.*
Hâc *etenim certè* Tu ſumis *& ipſe* Salutem,
*Scilicet ore* potens, *ceu priùs aure* patens.

41. PETRO DIETERICO, Affini, gravi affictô morbô.

*Petrus Dietericus*, Anagr. *Percuteris Deitùs.*

*Ne tua deſperet mens morbô preſſa malignô:*
**Cœlitùs immiſſas ferre neceſſe plagas.*
Percuteris Deitùs: *Deus* hic, *qui juſta malorum*
*Impoſuit, ponet ſuppliciisq́ modum.*

* Νόσȣς δ᾽ ἀνάγκη τάς Θεηλάτȣς φέρειν. Sophoc. Vid. Lipſ. Cent. 1. Miſcell. Ep. 83. m. p. 97.

42. De Siculorum rebellione.

*Jura negat* Siculus. *Scin' cur? Reſpondeo:* Siclus
*Injuſtè extortus jura negare jubet.*
*Cœpit amor* Siculum *Galli. Num Gallia Siclum*
*Verò remiſſura eſt? Exitus acta probet.*

43. In quendam Levitam, ſ. Clericum.

De *tribu* Levi *mihi diceris eſſe, quod ore*
*Inquis idem propriô, credoq́, crede, tibi.*
*Aſt* Ablativum Genitivo, *ne quis Apellæ*
*Te putet eſſe parem, ſubſtituiſſe libet.*

44. In irriſores Egenorum.

*Qui* lacerum Lazarum *vel factô* læſerit, *ore*
*Ad minimumve ſuo* luſerit, *ille perit.*
*Jure. Creatorem Lazari nam* lædit, *eundem*
Lædendo; ludens ludit *eumq́ ſimul.*

## 45. Carpius.

*Morbificus tibi ne veſcenti* Carpius *obſit,*
Inverſus *paulùm* Carpius *ipſe monet.*
*Scilicet aut ſemper veſcaris* parciùs *illô:*
*Aut madeat potô ſæpiùs ille merô.*

## 46. Epitaphium.

Sum *quod eram,* (a) *qui verò* fui, (b) fueramq́; *quod, illud*
*Non* (c) ero; *quid jam ſim, collige,* Lector, *ego?*

(a) Scil. terra ſ. lutum, (b) peccator, lutum; (c) in Vita æt. purus.

## 47. Ad Aff. morbô lethali liberatum.

*Paulus Apelles, Hungarus,* Anagr. *Heu! pſalle plauſu, gnarus.*

*Faucibus extractus (quàm gaudeo!) mortis acerbæ,*
*Qui mihi, quiq; meis redderis, atq; tuis.*
Heu! plauſu *nunc* pſalle Deo, *benè* gnarus, *Apelles;*
*Chordis, voce, tubis, conciliare melos.*

## 48. Ad Dn. GOTTOFREDUM HAHN, A. Conf. ad S.S. Trin. Svidn. Archi-Diaconum.

Galle, *canis Chriſtum* criſtatus *pluribus annis,*
Triſtatus *nunquàm, talia porrò cane.*

## 49. Ad eundem.

*Ut Gallus cantu terret, pellitq́; Leonem;*
*Sic Tu voce ſacrâ Dæmona pelle diu!*

## 50. De CHRISTO puello.

*Nudus homo non eſt, vel plus eſt iſte* Puellus
*Quem mirum monſtrat Sidus in Orbe Magis.*

## 51. De *Minis* vulgò ſic dictis *Martialibus.*

*Magna* minis *vis eſt Martis,* minus *attamen iſtæ*
*Sæpe ſolent flavi Ditis obeſſe* minis.
*Namq;* minis *aſinus rutilis Plutonis onuſtus*
*Plura,* minis *quàm Mars, expedit innumeris.*
*Hinc hic ſæpe ſibi ſocium cum munere Ditem*
*Conciliat, præfert ſæpe* minasq; minis.

## 52. *Solô* indignus, dignus *Salô.* Anagr.

*Qui* malus *atq; Solô plerumq; indignus habetur,*
*Naviget ille* Salum, *deſinet eſſe* malus.

## 53. In quendam.

Laus *tibi ſemper in his, mala quæ, quæſita libebat,*
*Nunc pro quæſitâ laude, ſceleſte,* luas.

## 54. Ad CHRISTUM Anagr.

*Dicere* Tu *ſolus ſummo cum jure* beatus,
*Qui multos alios, Chriſte, ſalute* beas.

## 55. De DEO atq; piis. Anagr.

*Non Deus in vita præſenti deſerit unquam,*
*Sed certos potius vult* opis *eſſe* pios.
*Præterquàm quando videt illis eſſe nocivam,*
*Tunc differt, alias quam modò ferret, opem.*

## 56. CHRISTUS.

Verus *homo Chriſtus, verùm* merus *eſſe negatur,*
*Adde, volens rectè credere, dicq;, Deus.*

## 57. Eccleſia, Anagr.

*Cogitur infelix* Eccleſia *ſemper in orbe*
*Hoc audire ſuis auribus:* Ecce, ſali.
*Aſt ſupereſt illi ſolaminis,* ecce *ſat: ipſe,*
*Tu, Deus, hanc quoniam ſufficienter* alis.

## 58. De Precibus.

*Fundere nî juſtas devotô pectore poſſis,*
*Nî velisve* preces, *ne modò, vana,* crepes.
*Non ſecus hic etenim* crepitus, *mihi crede, Jehovæ*
*Quàm ſordet* crepitus, *quem recitare pudet.*

## 59. Chriſtiani, Crúciani. Anagr.

*Chriſtiadum quisquis tandem volet eſſe* beatus,
*Fortiter hic* ſubeat *triſtia quæq; crucis.*

## 60. Beatitudinem terreſtrem raro ſequitur cœleſtis. Anagr.

*Non illic itidem, qui vixit in Orbe* beatus,
*In ſupera Cœli ſede* beatus *erit.*
*Namq; vel illuſtrem, qui calceamenta* ſuebat
*Trita, ſalute poteſt exuperare Ducem.*

## 61. Peccator ad CHRISTUM.

*Re* maledictus *ego,* Benedictus *nomine ſolô,*
*Ad Te, qui ſolus bis* benedictus *aves:*
*Qui* benedictorum *tam re, quàm nomine ſolus,*
*Sicut es æternùm, per-*benedictus *eris.*
*Et tamen interea fieri* maledictus *in orbe*
*Non detrectaſti, qui* benedictus *eras.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0118-7

*Ad Te confugio ſolum*, maledictus *in ævum.*
*Te ſine: me, quæſo, me*, benedicte, *juva.*
*Nam* benedictorum *ſi Tu*, Benedicte, *juvabis*,
*Qui* maledictus *eram, mox* benedictus *ero.*

## 62. Hiſtoria.

*Fama fuiſſe refert quendam* ratione carentem,
*Qui ſe cum vivis eſſe negavit humi.*
*Hinc quoq; cum vivis ſua fercla comeſſe negavit,*
*Defunctos vitâ ſic minimè eſſe docens.*
*Sed veram veriti mortem, nec inaniter, ejus*
*Hoc conſangvinei pertimuere malum.*
*Mox Medicos adeunt precibus, medicamq́; petentes,*
*Excluſis herbis, experiuntur opem.*
Mentis *enim morbum non* corporis *eſſe videntes,*
*Inſidiis mendas aggrediuntur eas.*
*In conclave ferunt, cujus fuit incola demens,*
*Nocte intempeſtâ Vina, Dapesq́; ſimul.*
*Ac accumbentes aliquot, ſed veſtis amictu*
*Funereæ, patinas evacuantq́; ſcyphos.*
*Ille diu ſpectans*, mirans, rimansq́; *quid id ſit,*
*Quinam ſint, tandem, quid faciantve, rogat.*
*Reſpondent:* Manes *ſumus. Inſtat at ille rogando:*
*Num manet & Manes* menſa *referta cibis?*
*Annuit invitans quidam perſvadet & ægro,*
*Qui mandat ſtomacho mandet ut ore dapes.*
*Hâc* ratione *cibi medicamine pòſt repetitô,*
*Mox* ratione *ſuâ præditus æger ovat.*

63. Gregor. M. de Muliere Canan.

*Chriſtus vult rogari, vult cogi, vult importunitate vinci.*

*Primò rogari vult, cogi deîn, deniq; vinci:*
*Hoc importunâ ſi feceris ve prece.*

64. Cain cæde & mercede Typus Mundi.

Labe *Cain fædus crudeliter enecat* Abel
*Innocuum, Mundi cœpit & eſſe Typus.*
*Porrò Typum dictum preſſit divinitus* *Ebal
*Hinc ratio facilis quid ferat Antitypus.*

* Deut. 11. v. 29. Cap. 27. v. 4.

65. Aliud.

*Cæde Cain Typus eſt Mundi mercedeq; ſævi,*
*Cædit uterq; bonos, cedit utriq; malè.*

66. In quendam ubiq; moleſtum. Anagr.

*Te, cuî continuò contingit* abeſſe, beaſſe
*Eſt: quoniam nunquam, quin obes, uſpiam ades.*

67. Beati converſi. Anagr.

*Quos* abolere *jubet peccati talio juſta,*
*Hos* Lare *converſos mox* beo, *Chriſtus ait.*

68. Ecclesia nocentibus nocet. Anagr.

*Qui me præſumunt* abolere *per auſa cruenta.*
*Hiſce nihil cedens* Abel *&* Ebal ero.
Abel ero, *crimen patiendo fortiter auſum,*
*Dictando pœnam criminis* Ebal ero.

69. In-

## 69. Invitatio Amici.

*Nobiſcum præſens charâ cum Conjuge, Frater,*
*Ut, quod habemus* edas, *dum peto promtus* ades.
*Ac ut eò citiùs nobis poſſitis* adeſſe,
Eſſeda *vos ad nos brutaq́ juncta vehant.*

## 70. Strena Votiva.

*Te præſente recente recens* appellet, Apelles,
*Natus in hoc anno, filius, opto, Patrem.*
*Mater & hôc pariter tua Conjux audiat annô;*
*Audiat hæc autem Vota, juvetq́ Deus!*

## 71. In obitum GEORGII WILHELMI, Ducis L. B. W.

Claudit, *& illuſtris Dux Stemmatis ultimus* audit;
*Fama ſed hujus adhuc ſtat, decoratq́ Genus.*

## 72. In abitum Viri celebris & Amici.

*Vade Deo duce, Vir Clarisſime, Vota ſequuntur*
*Noſtra, Poli quorſum Te pia fata trahunt.*

## 73. Ænigma XV. Biblicum, in Anagr.

*Dic mihi, me quali, Verſum, Lecture, vocabis*
*Nomine? Volvendo Biblia ſacra ſcies.*
*Promtus ad inſontes* prodendos ſemper in aula*
*Perdendosq́ probos* dego, *negoq́ nihil.*

*1. Sam. 22. v. 9. 10. 18.

## 74. Aliud jocoſum, XVI.

Jerobeam *qualem, mihi dic, habuiſſe Parentem,*
*Reris, & ipſus eris magnus Apollo mihi.*

75. Solutio.

*Quæſiviſſe ſuum mihi panem nendo videtur,*
*Qui* Nebat *juxta* Biblia *ſacra cluet.*

76. Ad Juventutem Scholaſt. Anagr.

Rectores *quoties vos Sacra docent, ſimul ille*
*Veſtra rigat,* certè, *pectora* roſq; *ſacer.*

77. Colus colenda unicuiq;.

*Eſt ſua cuiq;* colus, *ſua cuiq; vocatio noſtrûm*
*Perq;* colum colitur, *qui* colit *hancce* colum.

78. Aliud Anagrammaticum.

*Sunt* locus *atq;* colus *conjunctim ſemper in orbe,*
*Non* colus *absq;* loco, *nec locus absq;* colo.

79. Bruma.

*Vertere conanti ſterilis mihi* Bruma *ſit* umbra,
Umbra *habet in* Bruma *ſcilicet imperium.*
*Namq; die longè nox tempore longior illô,*
*Ut conſtans lucem ſupprimat umbra brevem.*

80. Moderatur penna bipennem.

*Docta coruſcantem moderatur* penna bipennem,
*Quæ raro fines pandere ſola ſolet.*

81. De Terra, Anagramma.

*Noſſe cupis* terram, *quid & hæc concluſerit in ſe?*
*Conſule* * *Germanos hoc Anagramma feres:*
*Præter* torturam *tibi nil reperîre licebit,*
*Quâ ſcatet, ut ſævis æſtuat æquor aquis.*

* Terram, Marter.

82. Vo-

## 82. Votum Cæſ. LEOPOLDO I. in nubtiis tertiis cum ELEONORA MAGDALENA THERESIA NEOBURG. Conjugii, ſacratum.

*Sponſa pii thalamum quæ nunc ingreſſa fit* Uxor
*Cæſaris; ô vivat, Cæſar ut ipſe, bene!*
*Cæſar ut & noſtri* miſereſcat, *nomine fauſtô*
*Omen item felix* Eleonora *ferat!*

## 83. Ad Amicum jocus.

*Mitto tibi* carmen, carnem *mihi mittito, nec non,*
Ut crenam cernam *porrò madere, merum.*

## 84. In Veſtitus hujus ſeculi inconſtantiam, Vocabulô, die Mode/ comprehenſam.

O Mode, *quàm noſtri perverſe nomen abuſu*
*Mortales fœdant ludificantve tuum.*
*Juſtificat, quicquid vel quisq; leviſſimus Orbi*
*Obtrudat fuci, nomine namq;* Modi.
*Imprimis veſtis variatio ſveta quotannis.*
*Nî quoq; prævertat, ſic ſolet ipſa tegi,*
*Nequaquam ſed in hocce* Modo modus *ullus habetur.*
*Excipe, ſi dicas:* Eſt modus *absq;* modô.
*Inde* modum *doctus quisquis reverenter habere,*
*Ne falſo hôcce cave, decipiare* modô.
*Secla ſequetur enim præſentia talis in Orco,*
*Quem lugebis ibi pòſt,* modus *absq;* modô.

## 85. Aliud.

Eſt modus *hic Satanæ* nodus, *vel* nutus; *amans hunc*
*Mox faſtu* notus, *deniq;* nudus *erit.*

86. Epithalamium breve.

*Non rarò Mentes ſubeunt quas* tædia Tædæ;
*Ne vobis, voveo*, tædia Tæda *creet.*

87. S. S. Cœnæ fructus. Suſpirium.

*Quando tuum corpus cum ſangvine* cœno, *Redemptor*,
*Emergens* cœnô *criminis, aſtra peto.*

88. Aliter.

*Criminis è* cœnô *Tecum dum* cœno, *Redemptor*,
*Emergo, Cœlo proximus atq; Deo.*

89. De CHRISTI Victoriâ.

Rapto *Plutonis*, partoq; *à Germine Juda*
*Felici* pratô, porta *ſuperna patet.*

90. Aliud.

*Eſt* vectura *piis Chriſti* Victoria, *cœli*
*Felicem Portum quâ ſuperare licet.*
*Eſt pariterq; piis veluti vectoria navis,*
*Apportans illis præmia digna, fide.*

91. Medium ſolvendi lingvas. Anagr.

*Quos aliàs* mutos *credis, modò mergito* muſto;
Hôc ſumtô *magnus mox ibi* motus *erit.*

92. Admonitio iracundis & ſuperbis.

*Quisquis bile* tumes, *animum mox, obſecro*, mutes,
*Nam ne te*, metus *eſt*, eſtum *eat orcus atrox.*

93. In Cretam, Cretenſiumve fidem.

Creta caret certâ *dicendo fronte, fideq;*,
*Perfidiâ* certâ *non ita* Creta caret.

94. De

## 94. De officiis & offuciis, Anagr. figur.

Officiis *fungi ſi vis*, offucia *ne ſit*,
*Hoc etenim miſcens* officis officio.
Officis *haud aliis ſaltem, ſed & efficis, ipſe*
*Ut tandem magnis* afficiâre *malis.*

## 95. Strena.

*Gratulor introitum, progreſſum comprecor anni*
*Felicem, finis par ſit utriq; novi.*

## 96. Alia in Reſponſo.

*Introitus fauſtus, progreſſus & exitus anni*
*Æqualis, Summô dante ſequatur, Amen!*

## 97. De Filio DEI & Mariæ.

Filius *ecce* Dei *Mariæ* Filius *audit,*
*Nec partus nomen* vilius *iſte parit.*

## 98. Stetinum poſt ſemeſtrem, eamq; ſeveriſſimam oppugnationem tandem oppugnatum. Anagram.

Num*ne* ſteti *vi tam violentâ quaſſa* Stetinum?
*Imò ſteti, nunc ſto, ſtaboq; porrò bene.*
*Namq; ſteti conſtante fide firmata* Stetinum,
*Cordatisq; ſimul* viribus *atq;* viris.
*In promptu ratio eſt: quia ſyllaba defuit una.*
*Bellum* inteſtinum *non fuit urbicolis.*

*Cogitur ipſe fidem frendens agnoſcere noſtram*
*Hoſtis, & admirans laudibus accumulat.*
*Cogitur atq; volens, nolens ignoſcere culpam*
*Victor, & æqualem jam vovet ipſe fidem.*
Numne ſteti *multò minor hôc Victore* Stetinum?
*Vix minor, hôc major nî, quoq; victa ſiem.*
Numne ſteti *multò minor & rumore* Stetinum?
*Vix minor, hôc major nî mea Fama ſiet.*

## 99. Aliud.

*Stat, ſtabat, ſtetit ut ſteterat, ſtabitq́; Stetinum,*
*Relligio, Regio, Rex, quoad iſta manent.*

## 100. Aliud Anagr.

*Quando* tumentis *adeſt hoſtis vis magna,* Stetinum,
*Te graviter cingens,* tum, *licet uſta* nites.

## 101. In Generalem excubiarum, Nomine *Rumor*, Danis in Inſula *Rügen* contra Svecos, tàm infeliciter, quàm temerè militantem, d. 8. Jan. A. C. 1678.

Rumor *erat Danis, peſſum properanter abîſſe*
*Svecos, mox fatuus* Rumor *at ìpſe cadit.*

## 102. Epithalamium.

*Conjugio veſtro ne quid, precor, inſit* amari,
*Dulcoris Sponſo ſitq́;* Maria *mare.*

## 103. In Funus Senis cujusdam.

Se nex *vim veterem non amiſiſſe probavit,*
*Dum tumulo tandem conditur iſte* Senex

*Inſul-*

*Inſultare neci viſus qui poſſe putabat*
*Hoc annis Seclum ſe ſuperare decem.*

## 104. Suſpirium.

*O Deus, innumeri me terrent undiq; Caſus,*
*Invadunt hoſtes, ô Deus, innumeri.*
Tu tamen *ipſe meum* Tutamen *es, esq; levamen,*
*Hoſtes ac Caſus quô mediante fero.*

## 105. De CHRISTO, Anagr.

An via, *Chriſte, patens ad Cœli ducis ovile?*
Janua *quin dici, non via ſola, volo.*

## 106. Amico Filium ſuum immorigerum dolentem.

*Vix quis* Divorum *reprobâ ſine prole repertus.*
*Conſule, ſi dubitas,* Biblia *ſacra, ſcies.*
*Aſpice* primævum, *reliquos ſepone,* Parentem,
*Ex Natis binis cuî malus alter erat.*
Tharaiden *quidnam Natorum movit ut unum*
*E Patrii Caſtri finibus ejiceret?*
*Nonne quòd* Abraides *Nato quoq; luxit in unô?*
*Scilicet ad ſtygium mens bene prona malum.*
*Quin ex* Iſacidæ *bis ſenis unicus extat,*
*Cuî nomen tribuunt Biblia ſancta probi.*
Iſaides *verâ nulli probitate ſecundus,*
*Virq; Dei juxta cor, vocitante Deô.*
*Quid non ille mali propriis perpesſus habebat*
*A Natis? Satis huîc nonne doloris erat.*

Ergo

*Ergo ſolamen, ſocios habuiſſe malorum,*
*Sit miſero, magnum leniet illud onus.*

## 107. De omine Anagr.

Omne *quod impuris mortalibus accidit* omen,
*Huncce Characterem fert: minitare,* mone.
Nemo *ſed attentô ſat pectore percipit* omen,
*Hinc* amen *hôc citiùs ſæpe venire ſolet.*

## 108. Natalis CHRISTI, Anagr.

*Cum tua debuerat* Natalis *tollere* litem,
Nata *fuit nato* lis *tibi, Chriſte, nova.*
*Te Pars namq; ſuum dubitabat dicere Regem,*
*Tollere Pars dictum non dubitavit Herum.*
*Hinc tua cùm minimè potuit præſentia* litem,
*Neſcio, quis valeat deniq; tollere eam.*
*Extremô rediens niſi Tu facis ipſe dierum,*
*Optatum finem. Quin facis absq; morâ.*

## 109. TOBIÆ LENTNERO Theologo, familiari.

Perlectô *libro nihil eſt, dilecte Tobia,*
*Quod Te* delectet; *nil quoq;* lectus *habet.*
*Tu primùm libros* lege *deîn* lectam lege Lecto,
*Quæ pueros* lectos *& Tibi* lecta legat.
*Quò ſint quos ad me* leges *Tu* Lege *Paternâ,*
*Queîs & pòſt* leges, *quæ* legis *hicce, bona.*

110. *To-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-536144-p0128-2

110. *Tobias*, Anagr. *Sat: ibo.*

Hîc *quod reſcribi vellem, jam ſuggerit ipſum*
*Nomen* Tobias. Sic *mihi ſcribe, rogo:*
Sat: *ſit, tantoperè mihi quod, ſuavisſime, ſuades;*
Lege *Dei* lectum, *quæ* legat, ibo, *lucrum.*

111. *Solimannus*, Anagr. *Si; non malus.*

D*um nos oppugnat* Solimannus *pesſimus enſe,*
Si, *Jova, vis, palmam* non malus *ille feret.*

# LIBRI V. FINIS.

*Epi-*

# Epi- & Anagrammatum.

# Liber VI.

## 1. *Paſcha*, Anagr. *Scapha*.

EST Scapha, *Chriſte, tuum credenti* Paſcha, *Salutis,*
*Trans freta quæ fretos fert & ad Aſtra vehit.*

## 2. *Pentecoſte*, Anagr. *Tene ſpecto.*

Te ne *ſalutiferô ſolandus lumine* ſpecto?
En, *jam* Te ſpecto, *Spiritus alme, veni.*
Pente *tuum docet hoc, exemplo cælite,* coſte,
*Quô* Te ſpectantes *luce, benigne, beas.*

## 3. Ad Cæſarem, Anagr.

*A* Regnô *aut* arceto *malos, aut hôcce* careto,
Cæſar, *& ad* Nomen *dirige facta tuum.*
*Auſus non eſſem tibi dicere, nî vel idipſum*
*Cæſareum vellet* Nomen *&* Officium.

## 4. Atheorum duplex Judicium, Anagr.

An natura ruat, *malus inquit*, an *amplius* utar?
*Vix ruet, hinc lætus, dum licet, utar eâ.*
Terret at *hunc tandem moribundum funebris* urna,
*Ex* urnâ *reducem* torret *Avernus atrox.*

5. Auri

### 5. Auri ſacra fames. Anagr.

*Auri* ſacra *fames multorum diripit* arcas,
Ac *ea non paucis* ars *placet orta ſtyge*
*Perfectum verò ſtygiâ ſat at arte* M*ägiſtrum*,
*Nî rapit infernus, furca nefanda capit.*

### 6. De eadem.

*Auri ſacra* fames *multorum ſæpe malorum*
Fomes *alit fraudes, furta, latrocinia.*
*Inde mali quivis celebrari* fomitis *expers,*
Hanc *auri ſacram, quæſo, caveto* famem.

### 7. Ad morientem.

Ex urnâ *qui vis cum Chriſto tendere ſurſum,*
Exorna, *bibuli ne ſit at* urna *tibi.* Luc. 16.

### 8. Votum.

*Qui multis es* Mors, Mars *crudeliſſime, nec non*
*Ignibus infeſtis omnia penè petis.*
*Parce minans noſtris, ô* Signifer ignifer, *oris,*
*Cædis & arma ſatur ſiſte cruenta procul!*

### 9. Suſpirium. Anagr.

Manè *ego dum ſurgens, cubiturus veſpere, dico,*
*Chriſte,* mane *mecum; dicito: fiat,* amen.

### 10. Ad Antipam & Herodiadis filiam ſaltatricem:

*Qui potes,* Antipa, *caput enſe ſecare Johannis,*
*Tu vel id in* patina *ferre puella ſalax?*
*Trucis* an *inferni meliùs tormenta poteſtis,*
*Præconis fidi quàm pia dicta,* pati?

II. *Au-*

11. *Auſtria*, Anagr. *Vaſtari.*

Vaſtari *quòd non Domus* Auſtria *debeat*, *Hæres*
*Denotet iſte datus: quem dator ipſe beet!*

12. In Feſtorum Profanatores.

Fuſtem, *quem* Feſtum *tædet celebrare*, *meretur*,
*Deteriusq́; feret deniq; fuſte malum.*
*Nam pro neglectis* Feriis ferietur *in* Orco,
*Perpetis & ferulæ ſentiet ille plagas.*

13. Ænigma Anagrammaticum XVII.

*Commoda ſi qua* velis *ſuperesſe deinde labori*,
*Verſa ſit hîc curæ* felis *ubiq; tibi.*

*Felis* per transliterat. reddit germanicum Fleiß.

14. In Hoſtem fortunatum.

*Non ingens tua te pietas*, *nec propter eandem.*
*Cœlica Majeſtas*, *vel tua facta juvant.*
*Pervenit ex noſtro potiùs tibi crimine robur.*
Sic ſcelus interdum tollit in orbe ſcelus.

Ein Laſter fördert / oder friſt das andere.

15. In Ancillarium quendam Lipſienſem, ejusq; Librum.

*Scribſiſti laudes*; Ancillarumq́; *notâſti*
*Virtutes propriô*, *belle Patrone*, *librô.*
*Dignus is à doctâ*, *fateor*, *qui gente legatur*,
*Aſt in* ſecretô **nonniſi*, *jure*, *locô.*

*Eo modò ſcil. quo Manlius libellum de Conjugio Sacerd. turpiſſ. quem dicit, ſe legiſſe indicat, in Collect. Tom. 2. p. 317.

## 16. In eundem.

*Eſt quandoq; tub felix in* Codice Luſus;
Podici *ut* illiſus *ſed ſcatet ille luto.*

## 17. In Puritanos.

Immundo *qui vis* in Mundo *cernere* mundum,
In Mundo, mundum *qui cupis, eſſe nequit.*

## 18. Amor verbi divini. Anagr.

*Dilige, nam monſtrat* rubeum *tibi ſangvine* verbum,
*Chriſtum, qui Mundi probra maligna tulit.*

## 19. In quendam nullibi acceptum hoſpitem, Anagr.

*Omnia perturbas quondam ceu* Davus *in actu,*
*Hinc tua nomen, homo, facta merentur idem.*
Davus * *at in noſtro, bene nos intellige, verſu*
*Diceris inverſus, vertere, verte, licet.*
* *Davus* german. per transl. Du Sau.

## 20. In Lupos rapaces, Anagr.

*Vel ſtygiâ rabie disrumpere percite, noſtram*
*Vel* vome, *voráſti quam, Lupe, rurſus* ovem.

## 21. Quem DEUS ferit, hunc & fert.

*Scire cupis, quis ſit, quem diligat almus Olympi*
*Præſes? Ego dicam: quem* ferit, *ipſus* erit.

## 22. De tempore mutabili, querela à morbo utriusq;.

*Qui* læti *quondam*, lautè *qui* viximus, imus
Vix *modò, vix noſter Spiritus oſſa trahit.*

*Spirat & in nobis vix Spiritus ipſe parumper,*
*Sic nos Æra premit, ſic premit* ira *Dei.*

### 23. Manaſſe Rex Judæ. Antanaclaſis.

Profuit *innumeris oculos* manaſſe, Manaſſe,
*Pallentes lacrymis & maduiſſe genas.*
Profluit *hinc etenim cœleſtis gratia rivi*
*Inſtar, te in priſcum reſtituensq; ſtatum.*

### 24. In Helenam Græcorum.

*Collaudans* Helenam, lenam *laudare videtur;*
*Complures aluit ſcilicet illa Procos.*

### 25. Suſanna ad ſuos adulteros, Anagr.

Sanus an, *annon es, quòd nîl verearis, adulter?*
Suſannam *ſanam nec magis eſſe putas?*
*An quid adulter olens, an quid ſit* adultera, *neſcis.*
*An, quod* lædatur Lex *ab utroq; Dei?*
*Ito malam, vecors, in rem, vel protinus ito,*
Suſannam ſanam *mente manere ſinens.*
Suſannam *verò ſubſannans, pergis &* ultrò
*Lædere non nocuam? Mox Deus* ultor *erit.*

### 26. In Suſannam quandam minùs caſtam.

*Quæ* Suſanna *clues, potius* Sus-Anna *vocanda,*
*Infamis virgæ dignaq; ferre plagas.*
*Diſſimilem quamvis, ſimilem tamen ipſa vocârit*
*Te Suſanna, aliâ ſed ratione, ſui.*

### 27. Ad Chriſtianos χρυσοφίλους.

Succus *ut in* ſacco, *ſic & doctrina Miniſtri*
*Multorum fluxâ pleraq; mente perit.*
*Inde* ſacrô *plures omni conamine* ſicci
*Solamen nullum ſorte premente tenent.*

*Pluribus & numis tumeat niſi ſaccus & aurô,*
*Non illis ullus poſtea ſuccus ineſt.*

### 28. CHRISTUS Cœlum clauſum recludit. Anagr.

Admotô *rugiens* Leo cum *mihi crimine* Cœlum,
*Clauſerit, amotô, Chriſte recludis idem.*
*Hinc* cœlum, *ſpes eſt, habiturum ſemper apertum*
*Me,* Leo cum *nequeat claudere porrò fores.*
*Tu modò, Chriſte,* Leo *ſtudeat* cum *claudere, ſerva*
*Me,* cœlumq́; *mihi. Sic mea certa Salus.*

### 29. CHRISTUS ad homines. Anagr.

*Num tibi do* donum? *Sanè te crimine* mundo:
*Teq́; Deumq́; unum necto cruore* nodum.

### 30. De Agnete, ejusdem & Martyriô. Anagr.

*Corde nec ore* negas *Chriſtum non mobilis* Agnes,
*Polluis & propriô trunca cruore* genas
*Profuſi tandem convictos ſangvinis* anges
Auges *præſenti facta nefanda, reos.*

### 31. Dos fidelium optima.

*Si Deus inverſa quem donet* dote **fidelem,*
*Optima dos, alia dote carere poteſt.*
*Ex cunctis etenim dos unica maximè optima,*
*Cæleſtes, Dominô dante, miniſtrat opes.*

*Per transl. german. Tode.

32. Εἰς δωροφάγον καὶ δωροφεύγον ἐν ἄλλῃ τῇ σημίᾳ.

*Heus! qui ſummanare ſoles nunc munera, cautè*
Summani, *cave, ne ſubmanet illa manus.*

33. Aliud.

Munus *adeſt?* Manus *eſt hoc mox quæ diripit ultrò;*
Munus *at eſt dandum, tunc tibi nulla* manus.

34. Aliud.

Summanus * *Deus eſt, ſemper cui ſumma dicaſti.*
Summanus *tuus hinc præmia ſumma dabit.*

* *Sumānus*, l. *Summānus*, dicitur *Pluto* infernalis, qs. *ſummus manium.* Eſt & ſummānare l. ſubmānare lit. a. correptâ, ἀποχείζειν ποίειν, evolare, ſ. eripere è volâ. Hinc *ſummāni*, (juxta quosdam & ſummāni,) fures dicuntur. Abhinc Phraſes: *Summani more*, avidiſſimè rapere in theſaurum ſuum: *Summanalia liba* in ſacris Summani. Vid. Scal. de Cauſ. LL. lib. 1. c. 34. Ovid. 6. Faſt. v. 731.

35. De Nicotiana, Anagr.

*Utenti rectè fit* Nicotiana *medela*,
*Sed ſecus utenti* in *certa* aconita *datur.*

36. De Concione.

Concio, *disjunctum cœtum dum* concio, *dicor;*
*Nec Vulgi mentes* concio *ſæpe minus.*

Dicitur: *Concieo* & concio, concívi, concítum.

### 37. In Senes noſtri Seculi. Eccho.

Canus es, at pariter raſâ tibi forpice barbâ,
Quando Senex non vis eſſe, videris anus.
Sic cadit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin:
Rarò ſimulq́ bonum cernimus omne novum.

Immer was Neues / ſelten was Gutes. Wer nicht ein alter Mann wil ſeyn / macht ſich zum alten Weibe.

### 38. In Aulum canum. Anagr.

Canus es, & vacuas nihilominus, Aule, quotannis
Penè facis cunas prole recente graves.
Inde manus quòd habes, mirum minùs acriter uncas:
Venas contraxit fors tibi blanda Venus.

### 39. De Petaſo & Petaſone.

Pro petaſò petaſo detur bonus eſurienti.
Ferventi petaſus pro petaſone Polô.

### 40. De uſu S. Cœnæ.

Qui Salvatoris cum corpore ſæpe cruorem
Accipit absq́ fide porcus habendus erit.
Ejusdem, corpus ſed cum quicunq́ cruore
Sumit, habetq́ fidem, fit procus ipſe Deus.

### 41. Pœnitentia fructuoſa.

Dum, Deus, ore ſono: mea Tu, peto, crimina dele;
Reſonat ex alto: Corde ſed illa dole.

### 42. De Baptiſmate. Anagr.

Es pulchrum nobis Chriſti Baptiſma Sepulchrum,
Sumq́ tuis pulcher mente ſepultus aquis.

## 43. Suſpirium.

Sum miſer, *ah!* e re, *Deus, ah!* miſerere *miſelli!*
*Non* miſer è re *ſum, ſi* miſerere *mei.*

## 44. De Clade Danorum in Inſula Rugiana d. 8. Jan. 1678.

*Cæſaris & Dani, nec non Brennonis atrocis,*
*Conjunctis turmis* Rugia virga *fuit.*
*Scilicet exilis fudit niſi prorſus & exul,*
*Attamen exilio proximus hoſtis eas.*
Svecus *is hoſtis erat*, * Rumoris Veſcus *in ore*;
*Confecit bellum clade puſilla manus.*

* *Rumor* fuit turmæ illius Cæſareo - Danico-Brand. Dux: *Rumor* eſt & ſermo vulgi.

## 45. Ipſe tandem perit, per quem multi pereunt.

*Ille pii cætus hoſtis qui perdidit* ædes
Sede *ſuâ rurſus pellitur hoſte* Deo.
*Sic inopinatos, hoſtes en!* talio *tandem*
*Juſta* Dei *ſequitur, exequiturq́; malos.*

## 46. In Cottam Pſeudo-Exulem.

*Exiliô de, Cotta, tuô ſi quando rogaris,*
*Prætexis cauſam protinus eſſe* fidem.
*Credo,* fidem *Chriſti tamen excipiendo ſalutis;*
*Nemo tibi voluit forſan habere* fidem.

## 47. In quendam.

*Si mihi fortè tuam liceat deſcribere mentem,*
*Qualis &, ah! in te ſit pietatis amor.*

*Inverſi* Stephani *mihi* larva *videbere, namq;*
*Audis*, *mente* ſtupens, *ſic & adisq; crucem.*
*Ibat ovans animis & ſpe ſua damna levabat*
Martyr, *te terret* Laurea *Martyrii.*

## 48. In dubitantes, Anagr.

An duro? *cogitas. Ceu durat* arundo *vacillans.*
*Inquam, nec Martyr more Johannis eris.*

## 49. In Signorum contemtores.

*Dic, quid in extremo ſupereſt his tempore,* ſigni,
*Qui nullam ſignis hîc habuere fidem?*
*Inverſâ* Signi *quærenti voce patebit;*
*Scilicet in* ſignis *perpes &* ignis *erit.*

## 50. Brevius, Eccho.

*Quid ſupereſt homini ſpretis in tempore* ſignis?
*Quid, niſi ſulphurei fluminis* ignis *atrox.*

## 51. In Adulatores.

*Ad ſpurcas κόλακας fas eſt relegare* cloacas,
*Conſpurcant etenim quemq; ſqualore ſuô.*

## 52. Ad Parentes conniventes.

*A liberis mala vel* ſeparent *feriendo* Parentes,
*Ad mala vel ſeſe multa ferenda parent.*

## 53. Admonitio generalis.

*Ad* celanda *tibi non eſt* candela *neceſſe*
*Utere* candelâ, *ſi qua palàm eſſe voles.*

### 54. Alia.

*Cum* referenda *refers, omni refer abſq; pudore,*
*Cumq; pudore refer, ſi* reverenda *refers.*

### 55. Ætas, Æſtas.

*Non ſecus ac* æſtas *hominum delabitur* ætas.
*In Juvenes æquè Mors furit atq; Senes.*

### 56. In Mendicos mendaces, de ſtipe injuſtè ſumtâ.

*Largiter à multis meritò ſine, jureq́; ſumtâ,*
*Sumenti fiet* peſtis *acerba* ſtipes.

### 57. Providentia divina tempore Calamitatis.

*Si quem cœleſtis Mortalem Gratia* ſepſit,
*Non petit hunc* peſtis, *non aliudvè malum.*
*Præterquam ſi quando Deus vult plectere Gentes,*
*Incipit à propriâ tunc feriendo domô.*

### 58. Peſtis omnia penetrat.

*Continuus laterum, lapidum licet undiq; ſeptus*
*Sis* ſeptis, *penetrat* peſtis *ubiq; domus.*
*Quin plerumq; modò* caſas *quaſi perſtrepit, alta*
*Perrepit & caſu mœnia plure quatit.*

### 59. De Papulis, vulgô Petätſchen.

*Sunt utiq; & verè papulæ, re teſte,* petaces,
*Nam petit hæc Vitam mox violenta lues.*
*Ac quibus imperium quaſi Mors dat livida:* petes
*Aculeô,* ſet *poſt hunc quoq; fune* cape.

### 60. Victor ſui, Victor mali, Anagr.

*Eſto* tui vincens, *qui vis* Vincentius *eſſe*
*Vincit enim, vincens ſe prius, omne malum.*

## 61. De Natali CHRISTI, Anagr.

*Jam* Natalis *adeſt Chriſti lætabilis; inde*
Cunctorum ſaliant *pectora lætitiâ.*

## 62. In Infanticidium Herodianum.

*Dum* Natalis *erat tuus olim, Chriſte, Redemptor.*
*Sangvinis & ſitiens ecce* Laniſta *furit.*
*Nempe ſuæ credens Regem Te gentis & Urbis,*
*Herodes hoſtem porrò ſuumq́; fore.*
*Hinc madet innocuô mox atrox ſangvine miles.*
*Eſtq́; parata ſimul par laniena tibi.*
